OBSERVATIONES HERMENEUTICAE IN URNAS ETRUSCAS

CUM SEPTEM IMAGINIBUS TEXTUI INSERTIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

LISA HAMBURG
BEROLINENSIS

HALIS SAXONUM
FORMIS DESCRIPSIT EHRHARDT KARRAS G. M. B. H.
MCMXVI

De dissertatione probanda ad philosophorum ordinem rettulit
Carolus Robert.

Examen rigorosum habitum est a. d. III. kal. Jul. anni h. s. XVI.

Prostat Berolini apud Weidmannos.

CAROLO ROBERT

SACRUM

Praefatio.

Urnarum Etruscarum ornamentis caelatis viri docti non propter artem in iis exhibitam — vilissima enim tertii et secundi a. Chr. n. saeculi est — sed propter fabularum quae in iis depinguntur varietatem studere solent. Sed si totum corpus urnarum ab Henrico Brunn Gustavoque Koerte summa cum accuratione et diligentia tribus voluminibus[1]) editum intentis oculis contemplaverimus, etiam opifices tam parvi ingenii quamquam figurarum dispositionibus a Graecis sibi traditis magis quam ab ipsis inventis utebantur, tamen viam atque rationem aliquam artis secutos esse non negabimus: primum quod quam maxime congruentiae sive — ut potius cum Plinio[2]) nomine Graeco utamur — *συμμετρίᾳ* studebant, tum quod interdum unam eandemque dispositionem figurarum ad varias fabulas inlustrandas adhibuerunt.

Quae si in monumentis interpretandis neglegimus, periculum est, ne perperam de iis iudicemus. Hanc ob rem de urnis Etruscis pauca disserere nobis in animo est, primum ut quantum congruentia valuerit ut in arte Graeca, ita in arte Etrusca exemplis probemus; tum ut ostendamus nonnunquam in urnis figuras aliquot nulla alia causa quam ut congruentiae ratio haberetur vel contra sensum iteratas esse, denique ut exponamus quo modo dispositiones figurarum quas artifices ad certas fabulas inlustrandas invenerant ab Etruscis depromptae et vel consilio vel errore ad aliam fabulam translatae sint.

---

[1]) Quibus accessit his ipsis diebus pars quarta prioribus valore aequa.

[2]) Plin. Nat. Hist. 34, 65: non habet Latinum nomen *συμμετρία*.

Congruentia in figuris ornamentorum instar positis apud artifices antiquos quam late patuerit nemo est qui nesciat. Quae primum invenitur ubi duae eiusdem speciei figurae ἀντιθετικῶς, ut dicere solemus, inter se opponuntur; id quod quantopere iam Aegyptiis, Babyloniis, Mycenaeis quos dicimus in deliciis fuerit post Jollesii egregiam dissertationem[1]) denuo exponere supervacaneum est. Satis habeo ex artis Graecae monumentis exempla pauca adferre aut rectius legentibus in memoriam reducere. Ita in vasis Ionicis, quae partim Berolini partim Parisiis adservantur, sphinges,[2]) aves capitibus humanis praeditas,[3]) leones,[4]) pardos,[5]) gallos,[6]) cervos[7]) capitibus aut elatis et spectantibus adversis aut obliquis et demissis utrimque ornamenti alicuius positos videmus. Ac ne aliarum officinarum exempla desint, in pyxide Corinthia Dodwelliana[8]) duae sphinges circa anserem, in patella aliqua Corinthia[9]) duo equi dimidiati circa circulum rosaceum, in amphora Chalcidica Herbipolitana[10]) duo equites circa ornamentum palmatum, in Ergotimi et Clitiae crateris Attici fascia infima[11]) hinc sphinges, illinc gryphes circa ornamentum elegantissime compositum disposita sunt. Quid quod ne a scalptura quidem

---

[1]) Jolles, Die antithetische Gruppe, Archäol. Jahrb., Vol. XIX, 1904, p. 27 sqq.

[2]) Furtwängler, Kat. d. Berl. Vasens. n. 1683, Pottier V. d. L. E 728.

[3]) Pottier E 694.

[4]) Pottier E 745, 746, 748.

[5]) Furtwängler 1703.

[6]) Pottier E 810.

[7]) Pottier E 677.

[8]) Münchener Vasens. I, p. 26, fg. 37.

[9]) Münchener Vasens. I, p. 31, fg. 46.

[10]) Buschor, Griech. Vasenmalerei, p. 97, fg. 70.

[11]) Furtwängler-Reichold I, tb. 3, fg. 1 et 2.

hanc disponendi consuetudinem alienam fuisse sphinges in templi Assii epistylio[1] ἀντιθετικῶς sibi oppositae testes sunt.

Interdum animalium figurae ita dispositae uno tantum capite praeditae sunt.[2] Sed huic conformationi praeter congruentiae studium aliud quid subesse videtur. Nimirum hoc peculiare habet Graecorum ars antiquissima, ut corporum latera omnia exprimere velit, non ea tantum quae uno aspectu comprendi possunt. Hinc nata est ea statuarum conformatio, cui frontalitatis nomen Lange[3] dedit. Quam vel in suppellectili observare possumus. Velut dum sella obliqua effingitur, fastigium reclinatorii adversum apparet, ut in anaglypho celeberrimo Spartano.[4] Itaque eas, de quibus agimus, figuras neque duas bestias uno capite comprehensas neque bicorporem aliquam bestiam esse arbitror, sed unam totam bestiam, cuius duo latera expressa sunt, tamquam corporis scissi ambo dimidia explicata.

Atque vasorum pictores vel eo processerunt, ut etiam totam figurarum seriem animalibus ἀντιθετικῶς dispositis cingerent. Id quod iam a Clitia in celeberrimo cratere factum esse videmus, cuius in labro sphinges duae venationis Calydoniae imaginem, interposito ornamento quodam, circumdant.[5] Maxime huic consuetudini Pamphaeus in calicibus suis rubris figuris pictis indulget, dum aut figuras aut ansas equis alatis circumdat.[6] Archetypum hoc est consuetudinis illius angulos duabus figuris inter se simillimis explendi, quam in urnis Etruscis et sarcophagis Romanis invenimus. Atque de urnis Etruscis postea disseremus; e sarcophagis Romanis haec exempla adferre satis habeo: in sarcophagis e Graecia provenientibus Caryatides poni solent e. g. in III 144, II 69 aut hermae II 69c. In Romanis autem sarcophagis Horas et

---

[1]) Clarke, Papers of the archaeol. Inst. of America, Boston 1882, tb. 16.

[2]) E. g. sphinx in vasculo Chisiano. Buschor, l. l. Abb. 37, Ant. Denkm. II, tb. 45.

[3]) Julius Lange, Der Mensch in der älteren griechischen Kunst, ed. Furtwängler, p. 12.

[4]) Furtwängler, Collection Sabouroff I, pl. 1.

[5]) Furtwängler-Reichhold I, tb. 13.

[6]) Panofka, Der Vasenbildner Pamphaios, Berl. Abh. 1848, p. 217 sqq., tb. 2. 3.

Amores hoc munere fungi spectamus, Horas III 180 et 182, 2, Amores III 1, 24. 35. 55.[1])

Tum congruentiae studium in ansis latioribus, quales crateris antiquioribus propriae sunt, observatur. Ita crater Corinthius, in quo Amphiarai profectio depicta est, in utraque ansa Furiam[2]) exhibet. Atque hic quidem duas Furias diversas expressas esse cogitari potest. Sed aliter res sese habet in ansis craterae a Clitia pictae, quae in tres areas divisae sunt. Nam ibi eaedem figurae iterantur, ita tamen ut leviter varientur. Ima in area Aiacem Achillis corpus tollentem, in media Dianam alatam utraque manu bestiam tenentem conspicimus; sed in summa daemon alatus delineatus est, a furia sexu tantum diversus. Errant, qui de duobus daemonibus hic cogitant, quos Phobon et Deimon esse volunt;[3]) immo unius Phobi figura iterata est. Quid quod ne Phidias quidem ab hoc procedendi modo se abstinuit, dum Iovis Olympii sellae bracchiolis Sphingas duas subicit;[4]) nam hic unam illam Sphinga Boeotam eum exprimere voluisse, inde apparet quod utramque Thebanum aliquem rapientem effinxit.[4]) Quod vero in zophoro Parthenonis pompa Panathenaica iterata est, id non tam congruentiae gratia, sed ea ratione factum esse puto, ut contemplatores, sive meridionale sive septentrionale templi latus praeteribant, integram et perfectam pompae atque tamen unius tantum pompae imaginem oculis perciperent.

Paullo aliter de imaginibus quibusdam iudicandum est, quae eiusdem divinitatis simulacrum iteratum continent. Ita duplicem Cybelen habemus in anaglypho Attico quod Conze edidit et explanavit,[5]) duplicem Minervam in alio anaglypho Attico a Mylona publici iuris facto,[6]) Pana duplicem in

---

[1]) Vide de hac re W. Altmann, Architektur und Ornamentik der antiken Sarkophage, p. 88 sqq.

[2]) Furtwängler, Berliner Vasens. 1655; Robert, Annali 1874, tb. NO; F.-R., tb. 122.

[3]) e. g. Amelung, Führer von Florenz, p. 223.

[4]) Pausanias V 11, 2 *τῶν ποδῶν δὲ ἑκατέρῳ τῶν ἔμπροσθεν παῖδές τε ἐπίκεινται Θηβαίων ὑπὸ σφιγγῶν ἡρπασμένοι καὶ ὑπὸ τὰς σφίγγας κτλ.*

[5]) Ephemeris archaeol. (Gerh.) 38, p. 3 sqq., tb. 2, 1.

[6]) *Ἐφημερὶς ἀρχαιολογικὴ* 1890, p. 1 sqq. Hoc ad explicandum anaglyphum Mylonas in tabula quam addidit inter cetera monumenta quae Minervam iteratam exprimunt adfert etiam anaglyphum fictile Berolini

anaglyphis duobus, de quibus H. Schrader in commentariolo suo: Die Ausgrabungen am Westabhang der Akropolis, Athen. Mitt. XXI (1896), p. 275 sqq., tb. 8 egit. Hic enim aliud subesse quam congruentiae studium primo obtutu adparet. Nempe menti religiosae maiestas divina una sola persona non satis exprimi videbatur. Ita factum est, ut Chaeroneae pro una Diana plures Dianae,[1] Troezene pro una Themide plures Themides adorarentur,[2] ut ex una Ilithyia plures fierent, ut Ceres Eleusinia in duas personas divinas, matrem et filiam se finderet.[3] Etiam Hermae bicipites, Hecate triformis quodam modo huc faciunt.

Contra, quamquam rarissime, artifices Graeci vel eo progressi sunt, ut etiam in rebus mythicis depingendis deae alicuius figuram duplicarent. In vasculo figuris nigris ornato, quod gigantomachiam exhibet, bis dea galeata adversarium hasta adgrediens delineata est.[4] Et cum hic quidem dubitari possit, num altera dea Iuno nominanda sit,[5] nullum dubium relinquitur in vasculo, quo Hercules Olympum ingrediens exprimitur; ibi enim altera Minerva heroa antecedit, altera sequitur.[6] Itaque etiam in gigantomachia Minervam iteratam esse eo verisimilius est, quod in calice nigris figuris ornato[7] Minerva in gigantomachia vel quinquies repetitur.

Congruentiae vero rursus studium est, quod artifices impellit, ut figuras sibi contra respondentes quam maxime

---

adservatum et ab Eduardo Gerhard in ephemeride sua IV, tb. 37 publici iuris factum, in quo raptus Palladii Troiani expressus est. Sed quod et in hoc monumento et in calice Hieronis (Mon. d. I. VII 21) Diomedes et Ulixes singula Palladia portant, id non ad divinitatis duplicationem sed ad mythi huius formam litteris non traditam referendum est. Nam cum Arctinus narrasset, Dardanum Palladii imitationes quasdam fabricandas curasse, ne rapturus sciret quod genuinum esset, Athenienses, ut videtur, quippe qui se ipsos Palladium genuinum in curia, quae ἐπὶ Παλλαδίῳ vocabatur, possidere contenderent, Ulixem genuinum Palladium, Diomedem unam ex falsis adprehendisse adfirmabant.

1) Preller-Robert, Griech. Mythol. I, p. 319 sqq., n. 5.

2) Pausanias II 31, 5; P.-R. l. l. 477, n. 1.

3) Wilamowitz, Griech. Tragg. II 212 sqq., 223; Robert, Oidipus I 45.

4) Él. ceram. I 90, Ἐφ. ἀρχ. 1890 παρενϑ. πίν. 5.

5) Cf. e. g. Mon. d. Inst. VI/VII, tb. 78 ubi Iunonem galeatam vides.

6) Ἐφ. ἀρχ. 1890 παρενϑ. πίν. 3.

7) Bull. d. Inst. 1879, p. 239.

adaequarent. Ita iam in fibula quadam geometrica, in qua Herculis cum hydra Lernaea pugna reddita est,[1] ut hydrae capita congruenter posita incisa sunt, ita Iolaus Herculi vultu gestu habitu statu simillimus non torri collorum vulnera adurit, sed et ipse gladio capita caedit.[2]

Deinde in Nicosthenis vascularii cratere figuris nigris ornato, in quo Gigantomachia depicta est,[3] Gigas ille qui Iovis adversarius est ut ipse Iuppiter in curru stat quamquam currus a Gigantibus ceteroquin prorsus alieni sunt. Sed Nicosthenes congruentiae causa hanc sibi sumpsit licentiam.[4]

Tum in calice rubris figuris ornato qui Florentiae adservatur, Thesei athla redduntur.[5] Unius lateris medium locum mors Scironis occupat, dextra a parte Theseum et Procrustem, sinistra Theseum et Sinim conspicimus. Utrobique Theseus non solum eodem statu habitu gestu vestitu depictus est, sed etiam malleum gerit qui ut Procrustis fabulae proprius est, ita Sinis fabulae minime convenit. Huius quoque licentiae causa studium congruentiae est.

Denique, ne inferioris aetatis exemplum desit, in anaglypho Smyrnaeo, in quo Neptuni et Minervae de possessione Athenarum certamen conspicitur,[6] ab utraque parte sancta deae olea, scilicet congruentiae causa iterata, expressa est.

Haec autem omnia praelusimus, ut ostenderemus, congruentiae studium, cuius in arte Etrusca maximas partes esse demonstratura sum, etiam in arte Graeca observari posse, sed Graecos artifices certis semper finibus iisque satis angustis se continere atque modeste hac libertate uti.

Iam ad Etruscos transgressura priusquam de urnis ipsis verba faciam, de nonnullis alius generis monumentis agam, in quibus idem congruentiae studium obvium est. Ita in can-

---

[1]) Americ. Journ. of Archaeol. 1911, p. 3, fg. 3.

[2]) Quod praeterea etiam in aryballo Vratislaviensi artis Corinthiae observatur, Mon. d. Inst. III 46; O. Roſsbach, Breslauer Antiken, p. 2.

[3]) Wiener Vorlegebl. 1890/91, tb. 6, 1—6.

[4]) Etiam in hydria aliqua, quam Gerhard A. V. tb. 94 publici iuris fecit, currus Gigantis currui Minervae oppositus est.

[5]) Mus. ital. III tav. 3, cf. Milani ibid. p. 230 sqq. Amelung, Führer von Florenz, p. 230.

[6]) Robert, Athen. Mitt. 1882, tb. 1. 2.

tharo Etrusco figuris nigris ornato, qui Berolini exstat,[1]) pugnantium par a duobus adulescentibus circumdatum est, quorum uterque equum alatum coercet. Cum alati sint, hi equi pugnatorum esse non possunt. Immo eodem munere funguntur atque equi alati Pamphaei (vide supra p. 3).

Tum in speculi alicuius operculo,[2]) ut in anaglypho illo Attico, duae Minervae caelatae sunt, sedentes tamen et sibi oppositae, ita ut una dextrorsum, altera sinistrorsum versa sit, una sinistra, altera dextra manu hastam teneat, scutum unius ad laevam, alterius ad dextram positum sit, ceteroquin inter se habitu statu ornatu simillimae, ut unam alterius speculum esse dicas. Atque huic quidem imagini religiosi aliquid subesse vix crediderim; immo congruentiae tantum gratia deam duplicatam esse puto atque rectissime hac de quaestione iudicavisse Gustavum Koerte.[3]) Similiter duae Minervae sedentes in alio speculo incisae sunt V 7, 1, sed habitu aliquantum diverso; nam una tantum hastam et scutum gerit, in alterius bracchio noctua insidet; sed quod maxime notatu dignum est, artifex eo audaciae procedit, ut has duas eiusdem deae imagines inter se conloquentes faciat. Eodem modo in alio speculo duo Mercurii, quorum unus tantum caduceo praeditus est, sermonem inter se conferunt (V 8, 1) itemque in speculo tertio (V 30, 1) duae feminae alatae, quas Lasas iure Koerte nominat, una sceptro altera capsula insignis. His adde specula duo, in quibus duo adulescentuli nudi, scuto praediti, unus eorum alatus, eodem statu et habitu, conlocuntur (Gerhardt III 254, 2; Koerte V, tb. 128, 1), quibus simile est tertium, ubi unus eorum chlamyde, alter pallio vestitus est (tb. 129, 1), denique speculum in quo mulier alata et sceptro praedita contra iuvenem armatum posita est (tb. 134, 2). Rectissime de his imaginibus G. Koerte ita iudicat, ut in iis figuras ornamentorum munere fungi dicat (p. 178).

Sed quantum omnino in his speculis congruentiae studium valuerit, unicuique qui quinque volumina corporis pervolverit,

---

[1]) Furtwängler, Berliner Vasens., n. 2158.
[2]) Gerhard, Etrusk. Spiegel III, tb. 241.
[3]) Etrusk. Spiegel V, p. 13.

ultro apparebit. Cum exempla fere innumerabilia sint, ex volumine Koertiano gravissima quaedam adferre satis erit. Adspicias, quaeso, speculum illud in quo mulieres duae nudae bracchia in labro intingunt (tb. 153). Nonne dispositio unice in congruentia nititur, nonne ornamenti instar est? Saepissime vero figura centralis a duabus figuris habitu statuque inter se simillimis cingitur. Ita invenimus Mercurium inter duos armatos (tb. 9, 2), Venerem modo inter duos Amores (tb. 12), modo inter duas Lasas (tb. 17), Herculem inter duas Lasas (tb. 64), iuvenem duas Lasas complexum (tb. 30, 2), Bacchum a duabus puellis permulsum (tb. 47), duas saltatrices inter quas tibicina interposita est (tb. 48), iuvenem inter Castores (tb. 81, 2), Castores Helenae utrimque adstantes,[1]) quae aut et ipsa stat (tb. 79. 81, 1) aut in gremio Ledae sedet (tb. 82) aut in gremio Tyndarei, cui perperam Laomedontis nomen adscriptum est (tb. 78). Egregium absolutae congruentiae exemplum speculum praebet, in quo mulierem conspicimus quae a quattuor ancillis comitur (tb. 22). Ipsa domina dextrorsum versa medium tenet; infra eam Amorem vides gemmulam ex arcula promentem et offerentem. Una ex ancillis, quae prope dominam adstat, ponendis capillis operam dat; reliquae duae ab utraque parte adsident, ornandi adparatus manibus tenentes. His omnibus in exemplis figurae sibi respondentes eiusdem generis sunt, saepissime autem personae diversae ita sibi adsimilantur, ut nulla fere inter eas intercedat differentia. In speculo qui Minervam nascentem exprimit (tb. 6) duae mulieres alatae, inter se simillimae, obstetricum munere funguntur, ut pro Ilithyis eas habeas, sed uni *θανω*, alteri Eθauśva nomen adscriptum est. Tum videmus Adonin inter duas mulieres sedentes adstantem (tb. 28); mulieres habitu simillimae sunt, nisi quod una discerniculum, altera coronam tenet; huic Evan, illi Mean nomen ascriptum est; Veneris ministras eas esse recte dicit Koerte (p. 36). In alio speculo (tb. 62) Minerva inter duos iuvenes statu habituque simillimos interposita est; uterque humerum deae manu adprehendit; eo tamen differunt quod unus corona

---

[1]) De aliis exemplis, quae in voluminibus prioribus publici iuris facta sunt, v. Koerte, p. 103.

et lauro, alter clave et pelle leonina insignis est; itaque hic Apollo, ille Hercules est; id quod nomina adscripta confirmant. Eaedem tres figurae in alio speculo (tb. 63, 2) expressae esse videntur, ubi tamen Koerte pro Apolline de Iolao cogitat;[1]) at non hastam, sed laurum ea figura tenere videtur. Utut haec res sese habet, status duorum deorum a priore speculo diversus est; nam uterque pedem in urna humi iacente ponit atque elatis digitis disputare videtur. Eundem standi modum in duobus iuvenibus alius speculi invenimus (tb. 85), neque habitus eorum similitudo eo minuitur quod unus eorum sedet. Inter eos adspiciuntur Minerva et virgo nuda, cui Cassandrae nomen adscriptum est; e iuvenibus unus pileum gerit, huic Ulixis nomen, alteri Diomedis adscriptum est. Koerte hoc speculum cum iis composuit, quae Helenam inter Castores exhibent.[2]) Atque ut concedendum est figurarum dispositionem ab illis pendere, ita non est cur negemus, artificem de Palladii raptu cogitasse et Cassandram heroibus illis Palladium rapturis intervenientem expressisse,[3]) pro Palladio vero ipsam Minervam adesse voluisse. Tum in speculo quod Idam et Apollinem de Marpessa, quae medium locum tenet, certantes exhibet (tb. 11, 1) duo aemuli statu gestuque simillimi eo tantum inter se differunt, quod unus arcum, alter laurum gerit; non minus inter se similes in altero eiusdem argumenti speculo sunt (tb. 11, 2), nisi quod unus a pectore alter a tergo conspicitur.

His addo exempla, in quibus figurae sibi respondentes aetate diversae sunt. In uno (tb. 119) Achilles contra Hectorem adstat. Habitus status arma eorum paene eadem sunt, sed Hector barbatus, Achilles imberbis est. Medium inter eos locum tenet senex, cui Telamonis nomen adscriptum est, aperto errore, cum Priamus esse debeat. Nam ei qui hanc imaginem invenit procul dubio Iliadis versus *X* 248 sqq. in mentem venerant, ubi Achilles et Hector ante certamen sermonem conferunt; quod vero Priamum, qui in Iliade de muro eos speculatur, non solum inter eos interposuit, sed etiam cum Achille conloquentem repraesentavit, facit id ea

[1]) V, p. 80.

[2]) p. 102 (v. supra p. 8).

[3]) Confer picturam Pompeianam, Scavi di Pompei II, tb. 11; Sogliano, pitt. mur. Camp. 560.

licentia quae artificibus semper concessa erat. Similiter in duobus aliis speculis (tb. 135) duorum armatorum sibi respondentium tertium armatum cingentium alter imberbis, armatus alter est. Atque idem hic fit, quod iam semel observavimus, quamquam unus stat alter sedet, tamen habitus similitudo maxima est. Barbatus et imberbis etiam in eo speculo accuratissime sibi respondent, quod Koertius quamquam non certo, sed sagacissime ita explicat,[1]) ut Cassandram equum ligneum igni tradendum esse monentem ibi expressam esse arbitretur (tb. 125); neque minus in eo speculo, ubi Penthesileam morientem ab imberbi et barbato simillimis inter se sustineri videmus (tb. 113), id observari potest. Rursus manifesto errore his viris Ulixis et Diomedis nomina adscripta sunt, rectissimeque Koerte monet[2]) hic Dolonis comprehensionem cum Penthesileae morte confundi. Non aetate, sed sexu diversae sunt figurae sibi respondentes in speculo aliquo (tb. 83, 2), ubi mulier et iuvenis habitu gestuque simillimi ex adverso sedentes inter se conlocuntur, tertio iuvene armato interposito. Et cum is qui sedet iuvenis pileatus esse videatur, Koerte de Castoribus cum Helena aut Leda dubitanter cogitavit.[3]) Cui explicationi vestitus differentia repugnare videtur; nam alter iuvenum palliatus et soccatus, alter chlamydatus et calceatus est, hic armis caret, ille lanceas et gladium gerit. Itaque Iovis gemini vix esse possunt.

Neque raro fit, ut congruentiae gratia figura aliqua eo habitu delineetur qui rei depictae minime conveniat; in speculo aliquo, quod Perseum Medusam occidentem exhibet (tb. 67), Minerva tranquillissimo habitu adsidet, cum adstare eam exspectaveris. Sed Medusae respondere debet, quae ab altera parte sedens et dormiens conspicitur. Eodem modo in alio speculo (tb. 56), dum Hercules Amazona impugnat, Iolaus tranquille adsidet, ut Amazoni in genua procumbenti respondeat. Denique eodem congruentiae studio vel figurae adduntur, quae non solum a mytho alienae sunt, sed ne certo quidem nomine designari possunt. In speculo aliquo (tb. 71) Perseo sedenti adstat Mercurius, ab altera vero parte iuvenis aliquis

---

[1]) p. 161 sqq.

[2]) p. 151/52 sq.

[3]) p. 101.

non nominandus, Mercurio statu et habitu simillimus, additus est. In alio speculo (tb. 70) Perseus Andromedae Medusae capitis imaginem in rivo, quem indicare artifex socordia neglexit, ostendit; Andromedae respondet a parte sinistra mulier quaedam alata, cui, etiamsi, ut Koertio videtur,[1]) Lasa est, tamen locus hic non est. Quid quod vel eae res, quae ad supellectilem pertinent, congruentiae causa iterantur. Id quod factum est in tribus speculis quae Tyro cum filiis exhibent (Gerhard 351, 1. 2. 3).[2]) Nemo nescit hanc puellam geminos quos Neptuno peperit uno solo alveolo exposuisse.[3]) Itaque in duobus aliis speculis (Gerhard 170, Koerte 89) Pelias hunc alveolum tenet. At in illis tribus de quibus modo dixi speculis et Pelias et Neleus singulos alveolos tenent.

Exempla facile augeri possunt. Sed ea quae attuli sufficere puto ad firmum fundamentum struendum, a quo profecti nunc demum ad urnas nos convertamus. Atque primum, ut iam antea promisi, breviter de figuris respondentibus quae angulos occupant ornamenti instar atque a ceteris figuris in interpretando seiungendae sunt, disputabo.[4]) Saepissime eo munere Furiae utpote daemones infernae funguntur, alatae, facibus aut gladiis praeditae, vide urnas I 74, 1. 2; 83, 17; II 11, 2; 17, 1; 19, 1; 81, 3; 82, 2; 83, 4. 5; 85, 8. Deinde Victoriae pro Furiis extant in urna II 69, 6. Atlantes in

---

[1]) p. 89.

[2]) Vide de hac quaestione dissertationem Caroli Robert nuper editam (Herm. LI 1916, p. 273 sqq.).

[3]) Idem de Romulo et Remo narrari nemo est qui nesciat. Theocritus 29 Herculem et Iphiclem in eodem scuto dormitare facit. Geminos quosdam divinos Boeotos de quibus sagaciter egit F. Marx (Ath. Mitt. X 1885, p. 81 sqq., v. tab. IV) eodem modo in uno lectulo iacentes exprimunt figuli. Quos Peliam et Neleum nominarem, nisi fasciis involuti essent; contra mulier dextro bracchio geminos sustinens, quam Marxius l. c. p. 91 adumbrandam curavit, perbene Tyro esse potest. Itaque Herbigio, viro clarissimo, qui Herm. LI 1916, p. 487, n. 2 Peliam et Neleum duobus alveolis expositos esse posse dicit, adstipulari non possum.

[4]) Cuius rei in quarto urnarum volumine, quod cum hanc dissertationem iam conscripsissem his diebus prodiit, accedunt exempla haec: Furiae tb. V 3, XLVII 5, LXXIII 9, CXV 2, CXVII 7; Atlantes tb. XLVII 6, LXV 7; Panes tb. XXXIV a; Daemones taraxippi tb. LXXI 5. 6; tropaea tb. CXIX 1; satellites tb. VIII 1; morientes tb. XIII 6, XIV 7; delphini tb. XXIV 1.

urna II 59, 7. 70, 8, Satyri qui feminas raptas bracchiis tenent I 89, 3; dearum seminudarum statuae II 18, 3. Tum vero etiam figurae, quae cum fabula repraesentata quodam modo utpote secundariae connexae sunt, sibi respondentes in angulis ponuntur; ut Paridis fratres I 11, 24, satellites duo in urna quae Orestis matricidium continet I 75, 3 et in urna quae ad Telephi fabulam spectat I 27, 3, in duabus quae Eteoclis et Polynicis caedem mutuam exprimunt II 12, 4. 16, 4, in urnis incerti argumenti 118, 1. 2; duo morientes in urna, ubi Troili mors repraesentatur I 50, 6; ternae ab utraque parte sibi respondent figurae in urna quae Caci fabulam inlustrat II 119, 1.[1])

Id quoque fit ut eiusmodi figurae, centauri maxime, non in angulis conlocentur, sed fere totam urnae faciem ornamentorum instar expleant. Centauros barbatos mulieres seminudas secum auferentes motu habituque inter se simillimos in urna Volaterrana II 65, 7 conspicimus. Quod vero sub eorum ventribus amphorae paene ingentis magnitudinis additae sunt, indicio est artificem centauromachiam in Pirithoi epulis nuptialibus exortam in animo habuisse. Itaque Gustavo Koerte adstipulari non possum, qui iuvenem in medio sedentem et gladium strictum tenentem, fastigii Olympiaci memor, pro Apolline habet.[2]) Immo propter gladium[3]) Pirithoum eum esse puto. In alia urna (64, 6) pro Pirithoo caput leoninum aquam in labrum eiciens in medio conlocatum est; centauri imberbes sunt et palmas longas manu tenent. Cum in duabus his urnis centauri in utramque partem diffugiant, in tertia (64, 4) sibi adversi sunt. Uterque una manu saxum tenet, altera capitis Gorgonei in medio conlocati alam adprehendit; mulieres raptae desunt. Etiam in urna quarta (64, 5) caput Gorgonis medium locum tenet; centauri vero non sibi adversi sunt, sed ambo dextrorsum currunt; pro saxo conum dextra tenent.[4])

---

[1]) De hac urna vide C. Robert, Cacus auf etruskischen Urnen. Festschrift für Blümner, p. 75 sqq. Cf. infra p. 37 ss.

[2]) p. 159.

[3]) Robert, Kentaurenkampf, p. 10 et 12.

[4]) Idem ornandi genus in nonnullis monumentis figlinis aetatis multo posterioris primum a Campana conlectis invenimus. Quorum optimum exemplar in Museo Dresdensi adservatur (Campana, tb. 79; Rohden-Winne-

Deinde in urnis quoque evenit, id quod iam in speculis observavimus, ut congruentiae gratia heroi primario comes attribuatur qui fere nihil ad rem facit; ita in urna quae Medeam in curru serpentibus iuncto aufugientem exhibet (II 1, 2) Iasoni genibus nixo ab altera parte comes, in urna quae ad Odysseam pertinet I 89, 4 Circae ab altera parte ministra eodem statu habituque respondet; in urna, ubi Cadmus dracontem occidit, a comite eiusdem habitus adiuvatur, quem mythus ignorat II 7, 2.

Atque, ut hoc iniciam, id quoque congruentiae studio tribuendum esse puto, quod interdum naves fere ingentis longitudinis effinguntur aut, ut accuratius dixerim, in duas partes ita dividuntur, ut prora unum, puppis alterum angulum occupet, cum pars media omissa sit. Eo modo in urnis quae ad Helenae raptum spectant navis Paridis (I 21, 10; 22, 11. 12; 23, 13. 14; 24, 15; 25, 17), in urnis quae Philoctetae mythum inlustrant, navis Ulixis et Diomedis expressa est (tb. 70, 4; 72, 7).

Persaepe quoque artifices eas quae medium locum in urnis tenent figuras singulis utrimque figuris congruenter positis circumdant: e. g. in urnis quae ad Euripidis Alexandrum spectant, Paris ad aram aufugiens saepe a duabus mulieribus circumdatus est, quae motu habitu gestu inter se simillimae sunt. Quae vero sint numque semper eaedem sint, non est res facilis diiudicatu. Atque in prima earum quae huc pertinent utraque ad aram adcurrit (I 8, 19). Eam, quae Paridis bracchium ut tutatura adprehendit, capite ad Deiphobum reverso, Venerem esse primo obtutu adparet. Altera quae velata est, num Hecuba sit an Cassandra an Priamus ab artifice sinistre acceptus, Brunnius in medio relinquit (I, p. 12). Quae tamen quaestio facile disceptari posse mihi videtur. Nam primum cur

---

feld, Antike Terrakotten IV [1 und 2], tb. 22, p. 129), in quo ex utraque parte gryphi in angulis positi sunt, quibus Arimaspi genibus in terra innixi manibus elatis vinum offerunt. Similiter tb. 66 et 101 Amores pardis insedentes circa cantharum positi et tb. 93 Amazones cum gryphis pugnantes (1) et satyri uvas carpentes (2) exprimuntur. Nunc etiam in urnarum volumine quarto nuper edito simile ornandi genus videmus: e. g. tb. 146, 1. 2 gryphos circa amphoram, tb. 139, 5 daemones alatos circa Gorgoneum; tb. 32, 8 adulescentes sibi aversi hippocampis insident, tb. 20, 7 mulier anguipes medium locum occupat, quae gryphos utramque in partem diffugientes loris tenet. Quae exempla facile augeri possunt.

de errore artificis cogitemus, causa non est. Tum Cassandra esse non potest, cum ea Paridi maxime infesta sit. Itaque Hecuba est, atque videmus artificem Etruscum non dubitasse anum et deam sibi respondentes facere. Eaedem figurae in alia urna (tb. 10, 23) similiter expressae inveniuntur, nisi quod Venus ut saepissime in arte Etrusca alata est; at cum Hecuba non ut anus sed florente aetate expressa sit, Brunnius de Oenona potius vel de una e Priami filiabus, exempli gratia Polyxena, cogitavit.[1]) Non recte, ut mihi quidem videtur. Oenonam certe procul habendam esse censeo, cum ab Euripidis tragoedia aliena sit.[2]) De Polyxena deliberari potest, sed cum ancilla comitata sit, de ipsa regina, non de reginae filia aliqua agi arbitror. Neque aetas repugnat, cum vel Graecos artifices Hecubam nonnumquam aetate florentem depinxisse nemo est qui nesciat.[3]) Quod si recte disputatum est, non dubitabimus etiam in tertia urna (tb. 13, 28) eam mulierem quae eundem locum tenet Hecubam nominare, cum Brunnius aut Venerem iteratam esse sed sine alis aut Peitho hic inductam esse putaverit;[4]) sed Peitho Etruscis prorsus ignota est. Immo vel eo procedimus, ut etiam in quarta urna mulierem Hecubae solitum locum occupantem, quamquam seminuda est et amplissime ornata, pro Hecuba ipsa habeamus (10, 22). Ceterum in hac urna congruentia minus accurate custodita est. Nam Hecuba tranquille adstat, Venus propere adcurrit. Sed aliter sese res habet in urna quinta, rursus congruentia custodita insigni (tb. 9, 21): Venus alata ad dextram Paridis tranquille adstat, sed sinistra elata et voltu iracundo Deiphobo minitatur; respondet ei ab altera parte Furia et ipsa alata; caput quoque alatum est; sinistra volumen[5]) tenet; truci voltu eodem modo in Hectorem intuetur ac Venus in Deiphobum.

Tum in omnibus urnis, quibus sacrificium Iphigeniae exprimitur (I, tb. 35 sqq.), Ulixes, qui Iphigeniam supra aram in medio stantem tenet, et Agamemnon, qui pateram supra

---

[1]) p. 15.

[2]) Hygin, fb. 91; Nauck, frgm. tragg. graecc. 297 sqq.

[3]) E. g. in clarissima illa Euthymidae amphora, F.-R., tb. 14.

[4]) p. 17 et 13.

[5]) Cf. Parcam in sarcophagis Romanis, e. g. Robert, Sarkophagr., tom. III 37.

caput filiae tollit, inter se simillimi sunt, et in nonnullis eius argumenti urnis artifex, ut *συμμετρίαν* quam maxime custodiret, Agamemnona etiam pileo Ulixi proprio instruxit; e. g. in urnis 2, 4, 6 sqq.

Similiter in prima earum urnarum, quae ad raptum Helenae pertinent I 17, 1, Helena a duobus adulescentibus habitu et vestitu inter se paribus ad navem Paridis adportatur. In ceteris autem eiusdem argumenti urnis plurimis adulescentes, qui Helenam cunctantem ad navem adducunt, habitu aetateque inter se differunt, sed in nonnullis etiam adaequati sunt, ut in urna 3 vestitu, in 4 habitu, in 12 et 16 omnino inter se simillimi sunt.

Sed aliae quoque harum urnarum figurae sibi adaequatae sunt; in urna secunda Helenae ministrorum maior motu et habitu socio Paridis simillimus est, qui dextra humerum Priamidae adprehendit; ipse et minister ille Helenam, pulchritudine eius stupefacti, contemplantur. Hae figurae similiter in urna 18 inveniuntur. Contra in urna tertia hic Paridis amicus potius ipsi Helenae respondet. Vides quam egregie falsus sit Schlie[1]) hanc figuram unum Castorum esse ratus. Tamquam tum alter Castorum deesse posset. Sed recte Brunnius eum Aeneam aut Glaucum aut Deiphobum esse negavit, quod vestitu Phrygio careret.[2]) Immo ab omni adpellatione mythologica abstinendum esse censeo. Atque cogitari potest, hanc figuram nulla alia causa quam congruentiae gratia inductam esse. Sed aliud quoque subesse potest. Nimirum in plurimis urnis eius figurae vice unus ex eis ministris fungitur, qui raptum cratera auferunt; eodem modo admirabundus Helenam intuetur, eodem modo atque in urna tertia ei respondet (4, 6, 8, 11, 13, 14, probabiliter etiam in urnis 7 et 12). Fieri igitur potest, ut hic minister in Paridis socium mutatus sit. Neque alteri ministro figura cui respondeat deest; nam in urna 7 et 9 Paridis gubernatori, qui ibi Helenam consequitur, gestu et habitu simillimus est; in ceteris, ubi haec figura invenitur, similitudo minor est.

---

[1]) Die Darstellungen des troischen Sagenkreises auf etruskischen Aschenkisten, Stuttgart 1868, p. 30 sqq.

[2]) p. 25.

Denique in urnis ad Philoctetae fabulam spectantibus, quas iam supra tetigimus, Ulixes et Diomedes, antri ab utraque parte conlocati, quamquam munere diversissimo funguntur, hic Philoctetae pedem aegrotum sublevans, ille pharetram et arcum eius rapturus, gestu statu habitu inter se simillimi sunt (71, 6. 72, 7). Neque minus in priore harum urnarum classi Ulixes et Diomedes ab una, Paris et socius ab altera parte accuratissime sibi respondent (69, 1—4).

Quam late vero congruentiae studium non in singulis tantum figuris sed in tota dispositione pateat, exemplo earum urnarum illustrare iuvat quae Iphigeniae immolationem pro oculis ponunt (I 35 sqq.). Atque de mediis earum figuris iam supra egimus, in angulis autem hinc Diana, quam minus recte Brunnius pro Furia habebat (p. 41), illinc nympha adparet quae cervam paratam habet. His figuris in quattuor primis urnis tota imago continetur.

In urna quinta pro deabus viri hastati utrimque conlocati sunt, res satis singularis, quam explicare Brunnius supersedet. Sed nisi delineatio fallit, ante arae faciem serpens conspicitur; qui certissime etiam in urnis 12, 20, 21, 23, 24, 25, probabiliter in urnis 5, 8, 9, 10, 17, 18, 19 (qua in urna unus ex hastatis illis repetitus est), dubitanter in urna 6 cognosci potest. Anguem sacelli custodem esse non est quod miremur. Quod vero in urnis 5 et 19 hic serpens a iuvenibus hastis demissis petitur, hac de re prorsus dubia haereo.

In sexta autem urna, praeterquam quod quasi ad imaginis centrum indicandum supra Iphigeniam caput spectatoris alicuius additum est, ad pedes Dianae et nymphae duae figurae genibus nixae satis accurate sibi respondentes conspiciuntur, mulier et adulescens. Atque mulierem, quae, dextra elata, sinistra genu Agamemnonis misericordiam implorans tangit, Clytaemestram esse inter omnes constat. Neque minus viget opinio adulescentem Achillem esse. Quam interpretationem primum ab Aemilio Braun[1]) prolatam Brunnius recepit, ad ea quae de Achillis partibus in Iphigenia Sophoclea Welckerus (Griech. Tragg. I 108) dixit lectores relegans. Quomodo vero summi viri verba, Achillem etiam apud Sophoclem, ut postea

[1]) Ann. d. Inst. 1857, p. 182; Brunn, p. 43.

apud Euripidem, Iphigeniae tutorem se gessisse, hanc interpretationem fulcire possint, prorsus non intellego, cum in urnis adulescens de quo agimus misericordiam, sed non auxilium Iphigeniae tribuat.

Sed multo gravius erravit Otto Ribbeck[1]) qui mentitum hunc Achillem a Myrmidonibus suis lapidibus vulneratum esse, conlatis versibus Euripidis 1351 sqq., contendit. Quod enim hic de quo agimus adulescens in urna 10 ipse lapidem tenet aut, ut accuratius dicam, dextra lapide innititur, repugnat potius interpretationi Ribbeckianae quam favet. Mihi quidem totus figurae habitus ab Achillis indole quam maxime abhorrere videtur. Qui si revera immolationem Iphigeniae prohibere volebat, armatus adcurrere debebat, ut ipse apud Euripidem minatur v. 1426:

ἐλθὼν τάδ' ὅπλα θήσομαι βωμοῦ πέλας.

Sed in una tantum urna 9 gladium gerit, in altera 18 loricam, nusquam galeam aut scutum. Delicatus potius adulescentulus est quam heros invictus, in urnis 7, 8 vel puero similis est. Quid quod in urna 20, si delineationi fides est, dextra tenet tabulam litterarum qualibus in ludo pueri utuntur. Haec omnia me adducunt, ut hunc adulescentulum pro Oreste habeam. Huic interpretationi favet, quod in urnis 8 et 10 a viro quodam, paedagogo scilicet, fulcitur. Idem videmus in urna 21, ubi terrore torpet. At Achillem torpidum quis sibi animo effingere potest? Quod vero hic Orestes nonnunquam ut adulescens, semel loricatus, semel cum gladio, effingitur, in ea re nemo haerebit, qui quam licentiam artifices non solum Etrusci sed etiam Graeci in pueris reddendis sibi sumpserint cognitum habet.

Hae igitur quinque vel sex urnae dispositionis quasi archetypum praebent, in quo *συμμετρία* diligentissime custodita est. Quae ne tum quidem prorsus neglegitur, cum aliae personae adduntur atque duplici ordine figurae disponuntur. In urna 14 inferiorem ordinem Ulixes cum Iphigenia, Agamemnon, Diana, nympha occupant, superioris medium locum Clytaemestra capillis passis tenet, cui adstat a dextra ancilla,

---

[1]) O. Ribbeck, Die römische Tragödie, p. 99 sqq.

a sinistra tibicen; dextrum angulum tympanistria, sinistram victimarius explet, cui sane in virginis immolatione locus non est; Orestes omissus est. In urnae 20 parte inferiore Orestes cum paedagogo, Ulixes cum Iphigenia, Agamemnon, Clytaemestra conspiciuntur; tum supra Clytaemestram paedagogo iuvenis aliquis non nominandus respondet, quem saxum dextra tenere Brunnius dicit (p. 48); sed in delineatione haec res potius patellae parvulae similis est. Superiorem ordinem medium victimarius, angulum dextrum iuvenis tabulam ceratam tenens, sinistrum virgo alata, sive Diana sive nympha, occupat, quae cervam paratam tenet. In urna 18 omnes septem archetypi personae adsunt,[1]) ordinem superiorem quinque sacrificii ministri explent. Qui medium locum occupat, praefericulum et pateram tenet, quem a laeva cantor et tibicen, a dextra victimarius et fidicen excipiunt. Sed quo plures figurae addebantur aut quo saepius figurae quae ad archetypum pertinent omittebantur, eo magis *συμμετρία* turbabatur. In urna 12 Orestes omissus est; Clytaemestrae nympha respondet; Diana supra nympham posita est; ei in angulo dextro tibicen respondet. In urna 11 Clytaemestra et Diana desunt; Dianae locum cantor, Clytaemestrae Orestes occupat, cui ab altera parte nulla figura respondet. In urna octava pro Clytaemestra Orestes iteratus est, qua de re mox accuratius disputabimus; *συμμετρία* autem eo turbatur, quod alter Orestes a paedagogo sustinetur, ita ut Dianae duae figurae, paedagogus et nympha, respondeant. Melius custodita est in urna 9, pulchritudine conspicua, sed misere laesa. Ibi is iuvenis qui post Ulixem in recessu medium fere locum tenet (cf. 6 et 8) non solum galeatus est, sed Ulixem in sustinenda Iphigenia adiuvat, ita ut pariete Pompeiano[2]) comparato Diomedem eum nominare possimus. Angulum sinistrum post Clytaemestram loricatus occupat, qui Agamemnonis humerum tangit. Cum caput deperditum sit, diiudicari nequit, utrum Achilles an Menelaus sit. Huic igitur in altero angulo nympha respondebat, hodie paene tota deleta. Diana

---

[1]) Brunnius pro Diana aut, ut ipse dicit, Furia Menelaum inductum esse dicit; et re vera curti capilli sexum virilem indicare videntur. At gestus certe Dianae est. Itaque fortasse artifex Dianae Menelaum substituit.

[2]) Herrmann, Denkmäler der Malerei des Altertums, tb. 15.

cum face elevata inter Agamemnonem et Diomedem interposita est. Cui post Ulixem minister respondet qui patinam fructuum plenam tenet. Id quoque scalptori laudi tribuendum est, quod Agamemnoni gladium quo filiae capillos frontales desecaturus est in manum dedit. Etiam in lateribus, ubi hic furia et barbatus, illic duo iuvenes arma conferunt, figurarum dispositiones inter se congruunt. Huius urnae urna decima fere gemella est, nisi quod *συμμετρία* in ea neglegitur. Nam Oresti a paedagogo fulto ab altera parte praeter Clytaemestram duo adulescentes chlamydati respondent, qui sacrificium lapidibus iactis turbare student, sicut etiam Orestem in hac urna dextram lapidi imponere iam supra didicimus; his autem tribus figuris accedit quarta, vir aut iuvenis tunicatus, cuius caput et bracchia deperdita sunt. Brunnius eum gladium tenuisse putavit.[1]) Mihi probabilius videtur eum et ipsum saxum vibrasse. Melius in parte superiore *συμμετρία* custodita est, ubi in medio Diana quae facem elevat et minister qui patinam tenet sibi respondent, ut in urna 9; sed cum nympha solitum locum teneat, in angulo dextro pro Menelao figura velata, prorsus obscura, adparet. Capilli curti et voltus severus virum indicare videntur, sed imberbis est. Brunnius de nominatione desperavit; nisi curti capilli essent, de Latona cogitarem.

Iam quae reliquae sunt urnae fere omnes in duas classes dividi possunt. Quarum in priore, ut in urnis 14 et 18, de quibus iam verba fecimus, figurae in duos ordines dispositae sunt. Sed cum in duabus illis ordo superior accuratam congruentiam prae se ferat, in ceteris fere nihil eius invenitur. Nam ubi in superiore ordine Clytaemestra passis capillis adest (13, 15), non medium locum tenet, sed in partem sinistram translata est; ubi inter superioris ordinis figuras deest (16, 17, 19), hae, ministri scilicet et musici, sine ulla congruentia conlocatae sunt. Alterius classis id proprium est, ut Clytaemestra a parte sinistra, duabus ministris comitantibus, adcurrat (22—24). Quo fit, ut haec pars magnopere praeponderet, neque congruentiae vestigium ullum reperiri possit. Nam post Agamemnonem aut armatus aliquis, sive armiger

---

[1]) p. 45.

regis sive Menelaus, et nympha cum cerva conspiciuntur aut nympha sola aut equus Agamemnonis; Diana autem semper deest. Denique ne in urna quidem illa singulari 25, ubi duae arae expressae sunt, artifex congruentiae rationem habet. In urna vero 26, ubi Iphigenia iam a Diana rapitur, duae tantum figurae genibus nixae sibi respondent quarum unam Agamemnonem esse recte iudicat Brunn (p. 52), cum hac sola in urna Calchas sacerdotis munere fungatur. Alteram vero non recte pro muliere habuisse Clytaemestramque nominasse mihi videtur. Immo tunicae brevitas sexum virilem indicat; itaque Orestem eum esse puto. In reliqua vero dispositione *συμμετρία* prorsus neglecta est.

Sed cum in his, quae quidem congruentiam consecuntur, multisque aliis urnis figurae principales mediae utrimque a figuris secundariis sibi respondentibus circumdatae sint, alius disponendi modus is est, ut duo figurarum paria iuxta ponantur. Ita in urna, quae duos daemones cum gigantibus pugnantes exhibet (II 1 a, 2), circa aram in medio positam duo figurarum paria admodum inter se similia adparent; a parte dextra mulier Furiae consimilis bracchio humano, quod dextra tenet,[1]) fortasse alii giganti in imagine non expresso revulso, giganta loricatum genibus procumbentem adgreditur; ab altera parte daemon, cuius sexus incertus est, malleum contra giganta anquipedem vibrat. Atque hanc dispositionem fere eandem esse atque eam de qua supra (p. 13) egi, ubi figurae quasi ornamentorum instar sunt, vix est quod moneam.

Similiter in alia urna II 74, 2 Amazonomachia expressa est; a parte laeva Graecus Amazona, a dextra Amazon Graecum procumbentem invadit. Sed cum victorum motus admodum similis sit, Amazon victa a fronte, Graecus victus a tergo conspicitur. Praeterea in angulo dextro furia nuda et alata addita est.

Eodem modo in alia urna (II 67, 2) centauromachia dis-

---

[1]) Cf. vasculum apud de Witte et Lenormant, El. ceram. I 88, F 2957; anaglyphum aeneum Etruscum apud M. Mayer, Giganten und Titanen, tb. I 2 (cf. p. 339 et p. 347), deinde Antike Denkmäler I, tb. 21 (Dümmler). De hac superstitione vide Benndorfium Mon. v. Adamklissi, p. 132 et Wilamowitzium ad Choeph. v. 439, p. 201.

posita est.[1]) A parte sinistra iuvenis imberbis, galeatus et clipeatus, Centaurum, qui et ipse, res in Graeca quidem arte inaudita, galeatus est, gladio stricto insectatur, a parte dextra vir nudus barbatus uxori Centauri, quae ramo se defendere conatur, gladium in tergum infigit, ita ut eodem modo atque in urna Amazonomachiam illustrante figurarum sibi respondentium una a fronte, altera a tergo conspiciatur. Sed de hac Centauri uxore nonnulla disputanda sunt. Nimirum in mythologia Graeca Centaurorum mulieres et amicas nymphas silvestres esse nemo est qui nesciat. Sufficit Chariclo Chironis uxorem commemorare. Zeuxis primus Centaurum uxorem semiferam habuisse finxit.[2]) Alii artifices, velut sarcophagorum scalptores, eum secuti sunt. Sed vix credi potest, Graecum quemquam sive artificem sive poetam his mulieribus semiferis in pugna cum Lapithis partes tribuisse. Artifici Etrusco hoc reservatum erat, qui in eo satis inconsiderate egit, quod ex exemplis Graecis amphoram retinuit. Haec enim ut in urna de qua supra (p. 13) egimus, indicio est, pugnam in Pirithoi nuptiis locum habere. At huius pugnae causa est, quod Centauri Lapitharum mulieres violare conati sunt. Id quod nullo modo accidere potuisset, si Centauri suas ipsorum uxores secum adduxissent. Ad spatium sub Centauris explendum duo iuvenes pileati humi sedentes additi sunt.

Similem dispositionem in urnis, quae in voluminis Brunniani tabulis 75, 2. 3, 76—79 redditae sunt, observare possumus. Ab una parte vir ab altera mulier nuda a singulis iuvenibus trucidatur; medium locum Furia tenet. Brunnius has imagines ad Aegisthi et Clytaemestrae necem rettulit. Cui interpretationi repugnat, quod in urna octava duo adulescentes mortui iacent, quorum unus scutum et gladium tenet. Itaque de pugna agitur, non de insidiis. Tum mulier illa nuda in duabus

---

[1]) Vide dissertationem Hermanni Oelschig, De Centauromachia in arte Graeca figuris, Halis Sax. 1911, p. 19.

[2]) Cf. Lucian, Zeuxis, 3: *ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις τολμήμασι καὶ θήλειαν Ἱπποκένταυρον ὁ Ζεῦξις ἐποίησεν.* A Zeuxidis pictura celeberrima pendent et gemma Neapolitana et sarcophagi in quibus Bacchum Ariadnam adeuntem videmus, vide Heydemann, Hall. Winckelmannsprogramm 7, p. 12 sqq. Praeterea cf. opus musivum Musei Berolinensis in Hadriani villa effossum, Mon. d. Inst. IV, tb. 50.

urnis (1, 2) simulacrum deae supplex amplectitur, a quo persecutor eam avellere studet. Nullo modo hoc in Clytaemestram et Orestem quadrat; immo Aiax et Cassandra repraesentati sunt, eodem modo atque in multis aliis imaginibus inveniuntur. Itaque alterum par Priamus et Neoptolemus sunt: Iliupersis, non Orestis matricidium inlustratur, id quod iam pridem perspexerat Overbeckius.[1]) Denique monendum est Aiacem et Neoptolemum ad augendam congruentiam in urna prima ambos barbatos, in urnis 2, 4, 8 imberbes effictos esse. Pari modo artifex urnae I 13, 28, quae Paridem a fratribus oppugnatum exprimit, congruentiae causa Priamum galea, qualem Deiphobus ei oppositus gerit, pro pileo Phrygio instruxit.

Sed in aliis urnis hoc aequiperandi studium, quo habitus uni figurae proprius in alteram ei respondentem transfertur, etiam latius patet. Quod ut ostendam, exeundum mihi est ab eis urnis quae Eteoclis et Polynicis parricidium mutuum exprimunt, de quibus in universum nuper egit Carolus Robert in libro qui inscribitur „Oidipus“ ad quem lectores huius commentarioli remittimus.[2])

Duo autem huius rei momenta in urnis inlustrantur; aut enim fratres arma capientes aut pugnantes expressi sunt. Prius momentum quae exprimunt urnae (Koerte, Urn. etr. II, tb. VIII—X) nihil ad rem faciunt, immo ad eam de qua modo egimus classem pertinent, ubi singulae figurae aut figurarum paria congruentiae ratione sibi opponuntur, alia nonnunquam in medio interposita figura. Ita in urna prima Furiam sedentem videmus quae a fratribus scuta adripientibus circumdata est. In urna quarta haec Furia e terra emergit, fratres arma iam ceperunt; Eteocli mater, Polynici soror adstat, ut precibus suis certamen prohibeant. In urnis secunda et tertia fratres eodem modo atque in prima repraesentati sunt; in secunda ad utrumque Furia, in tertia ad Eteoclem Furia, Antigona ad Polynicem accedit. Singularis est urna quinta, ubi fratres iam mutuo se adgrediuntur, dum satellites eos retinere student, medio Furia arae insidet.

---

[1]) Overbeck, Gall. heroischer Bilder, tb. 27, p. 653; Körte, Archäol. Jahrb. 12, p. 67, n. 30.

[2]) Robert, Oidipus II, p. 156, n. 102.

Summi vero ad eam quam modo tetigi rem inlustrandam momenti eae urnae sunt, quae pugnam ipsam exprimunt. Quae in duas dividi possunt classes. In priore Eteocles vi innisus fratri procumbenti gladium in corpus infigit, Polynices autem mortiferam plagam ventri eius infert. Accuratissime haec congruunt cum nuntii in Euripidis Phoenissis verbis v. 1414—1424:

> *ὁμοῦ δὲ κάμψας πλευρὰ καὶ νηδὺν τάλας*
> *σὺν αἱματηραῖς σταγόσι Πολυνείκης πίτνει.*
> *ὁ δ' ὡς κρατῶν δὴ καὶ νενικηκὼς μάχῃ*
> *ξίφος δικὼν εἰς γαῖαν ἐσκύλευέ νιν*
> *τὸν νοῦν πρὸς αὑτὸν οὐκ ἔχων, ἐκεῖσε δέ.*
> *ὃ καί νιν ἔσφηλ'. ἔτι γὰρ ἐμπνέων βραχὺ*
> *σῴζων σίδηρον ἐν λυγρῷ πεσήματι*
> *μόλις μέν, ἐξέτεινε δ' εἰς ἧπαρ ξίφος*
> *Ἐτεοκλέους ὁ πρόσθε Πολυνείκης πεσών.*
> *γαῖαν δ' ὀδὰξ ἑλόντες ἀλλήλων πέλας*
> *πίπτουσιν ἄμφω κοὐ διώρισαν κράτος.*

Dubium esse non potest quin ea, quam artifices Graeci secuti sunt, imago Graeca [1]) ab his versibus penderit, quamquam iam in arca Cypseli res prorsus eodem modo efficta erat. [2])



Quid vero artifices Etrusci? Ut congruentiam crearent, Polynicis habitum paullo mutaverunt, ut iam fratres, moribundi scilicet, eodem modo sibi opponerentur, ut in aliis illis urnis arma capientes; tb. XIII—XVII 1 (vide imaginem adpositam

---

[1]) Cf. etiam parietem sepulcri Etrusci qui a repertore, Alexandro François, nomen ducit (Arch. Jahrb. 12, p. 60 sqq.); cf. Robert, Oidipus I, p. 225.

[2]) Paus. V 19, 6.

secundum tb. XIII, 1 expressam).[1] Contrarium factum esse videtur in speculo aliquo Etrusco (V 95), ubi fratres eodem habitu secum pugnant. Diceres ibi Eteoclis habitum ad Polynicem translatum esse, nisi Koerte observavisset,[2] eandem



inter pugnantes congruentiam etiam in duobus aliis speculis inveniri, quorum unum Achillis cum Penthesilea (II 233), alterum Aiacis cum Hectore certamen exhibet (IV 392), ita ut haec disponendi ratio speculorum artificibus familiaris fuisse

[1]) Weidmannorum, bibliopolarum honestissimorum, liberalitate formis duabus mihi uti licet ad Roberti de Oedipo librum inlustrandum paratis (II 156, fig. 17; I 456, fig. 64).

[2]) Etr. Sp. V, p. 122.

videatur. Sed cum in ea quoque summum congruentiae studium adpareat, hanc rem hic silentio praeterire nolui. Sed ut ad urnas, de quibus agitur, revertamur, vix est quod moneam etiam in figuris secundariis congruentiam plerumque custodiri. Ita fratres aut a comitibus sustentantur (XIII 2, XIV 1, 3—5), aut anguli ab armatis (XV 3, XVI 4) aut furiis (XVII 1) occupantur. Sed in tanta congruentia ne differentiae quidem desunt. Semel Eteocles (XIII 1), bis Polynices (XIV 4, XVI 4) barbatus est, bis armatura diversa (XIV 4, XVI 4). Singularis, sed congruentia conspicua ea urna est, ubi fratres non humi sedent, sed proni a satellitibus sublevantur XVIII 3 (vide imaginem pag. 25 insertam).[1] Contra in duabus urnis congruentia prorsus neglecta est (XVII 2, XIX 5), nam ibi Eteocles dextro genu nititur, Polynices iam deficiens humi sedet.

Hae igitur urnae quae ad fabulam Thebanam pertinent, optime docent, quo modo artifices Etrusci duas figuras, quae in exemplo graeco diversae erant, sibi adsimilare soleant.

Difficilius est de eis urnis iudicare, quas Brunnius ad Orestis fabulam rettulit (I 81—83). Iuvenem videmus, modo stantem modo arae insidentem, stricto gladio contra furias se defendentem. Praeter Orestem unus Alcmaeo in censum venit. Sed eum Furias armis a se arcuisse nusquam traditum est. Contra de Oreste Stesichorus, quem Euripides (Or. v. 262 sqq.) secutus est, hoc narravit; sane apud eum arcu ab Apolline ei donato id facit.[2] Sed in Iphigenia Taurica Euripides Orestem gladio contra furias se defendisse narrat.[3]) Idem exprimere videri possunt vasa picta, quae Orestem in ara Pythica gladio stricto sedentem exhibent.[4] Sed ibi, etiamsi Furiae adsunt, non contra eas eo utitur. Immo strinxit, ut matricidii instrumentum, sicut ipse, ab Apolline

---

[1]) Robert, l. l. I p. 456, fig. 64.

[2]) Schol. in Eurip. Or. 259 Schwartz (I, p. 126).

[3]) v. 296—99:

ὃ δὲ χερὶ σπάσας ξίφος
μόσχους ὀρούσας εἰς μέσας λέων ὅπως
παίει σιδήρῳ λαγόνας εἰς πλευρὰς ἱεὶς
δοκῶν Ἐρινῦς θεὰς ἀμύνεσθαι τάδε.

[4]) C. R. 1863, Atl. tb. 6, text. p. 3. Arch. Ztg. 1860, tb. 137/38. Bull. Nap. II, tb. 7.

purgaretur. Nam etiam apud Aeschylum, a quo haec vasa pendent, legimus Eum. 40—45:

> ὁρῶ δ' ἐπ' ὀμφαλῷ μὲν ἄνδρα θεομυσῆ
> ἕδρας ἔχοντα προστρόπαιον, αἵματι
> στάζοντα χεῖρας καὶ νεοσπαδὲς ξίφος
> ἔχοντ' ἐλαίας θ' ὑψιγέννητον κλάδον[1])
> λήνει μεγίστῳ σωφρόνως ἐστεμμένον.

At homini inerudito proclivis erat error, eum contra Furias gladium strinxisse. Neque artifices Etrusci soli in hunc errorem inciderunt, sed iam in Magnae Graeciae vasis duobus[2]) Orestem arae insidentem contra Furias gladium vibrantem videmus. Itaque de Oreste agi cum Brunnio pro certo habeo. Atque in urna 16, ubi Orestem solum inter Furias videmus, omnia plana sunt. In aliis duabus urnis post Orestis tergum iuvenis adparet, qui bracchio sinistro sublato eum protegere studet (12, 13). Pyladem eum esse recte dicit Brunnius, quamquam apud Aeschylum Orestes sine amico Delphos se confert. In quarta urna artifex eo procedit, ut Pyladem quoque gladio Furias impugnantem faciat (17). Denique in reliquis duabus urnis (14, 15) praeter Orestem alter quoque iuvenis arae insidet, habitu et gestu ἀντιθετικῶς ei respondens. Si Pylades est, id quod ceterarum urnarum comparatio probare videtur, congruentiae artifex plus tribuit quam verisimilitudini; nam cum caede careat Pylades neque a Furiis vexetur, non habet cur in aram refugiat. Sed id quoque deliberatu dignum est, num forte Orestis figura duplicata sit. Unum huius rei exemplum iam supra (p. 19) cognovimus, Orestem puerum in Iphigeniae sacrificio iteratum, alia duo hic addi possunt.

In tribus quae Actaeonis mortem exprimunt urnis (II, tb. 3) Diana angulum sinistrum occupat, sed semper diverse figurata; in tertia ut venatrix, quae venabulo canes incitat, adparet (cf. metopam Selinusiam); respondet ei ab altera parte Actaeonis pater Aristaeus. In secunda alata adsidet facem inversam

---

1) Cf. vasculum Musei Britannici Ann. d. Inst. 1847, tb. V (Vas. of Br. Mus. IV, p. 84, F 166), ubi solus Apollo adstat, Furiae desunt. Etiam celeberrimus crater Parisinus (M. d. I. IV 48) huc facit.

2) Coghill 29, 1; Tischbein III 31.

tenens; respondet ei Actaeonis sodalis. Etiam in prima adsidet, sed sine face et alio habitu, et in altero angulo iterata est.

In urnis quae Telephum Oresti mortem minitantem exprimunt Agamemnon gladium stringens a parte sinistra adcurrere solet. Sed in urna tertia (tb. 27, 3) figura eius in parte dextra iterata est.

At in his quae modo notavi urnis figurae iteratae in angulis positae erant; sed nusquam duplicatae figurae in tanta vicinia ut in urnis 14 et 15 conlocantur. Itaque rectius



existimo hos duos iuvenes pro Oreste et Pylade haberi quam pro duplici Oreste.

Egregium vero duplicationis exemplum eae urnae praebent, quae ex Euripidis Iphigenia Taurica pendent. Hanc enim fabulam octo in urnis, quae in vol. II, tb. 75 sqq. redditae sunt, inlustrari, quamquam a Brunnio et Koertio negatum est, certis argumentis me demonstraturam esse spero.

Exeundum est ab urna Clusina quae octava est apud Koertium (vid. imaginem adpositam).[1] Medium ara coronis ornata occupat. Post eam sacelli murus ex obliquo con-

[1]) Rursus bibliopolis honestissimis gratiae quam maximae mihi agendae sunt, quod et huius et quintae imaginis paginae sequenti insertae formis, ad alium librum nondum prelis subiectum inlustrandum praeparatis, uti mihi permiserunt.

spicitur, cuius in angulo adverso duo capita humana desecta iacent, post angulum sinistrum arboris pars superior adparet. In ara illa duo iuvenes praeter chlamyda nudi sedent, barbatus unus, alter imberbis. Barbatus mentum dextra fulcit, sinistra gladium in vagina reconditum tenet. Imberbis brachium dextrum tamquam verba faciens extendit, sinistra lapidem tenere videtur, nisi forte chlamydis lacinia est. Sub cruribus iuvenum duae amphorae eversae accurate sibi respondentes iacent. Contra utrumque iuvenem mulier adstat, quae gladium strictum



tenet. Ea quae a parte sinistra stat dextra elata cum iuvene barbato sermonem facere videtur, dum sinistra gladium submittit; altera gladium suum erectum tenet. De sacrificio instante agi luce clarius est. Nemo dubitaret quin Iphigenia cum Oreste et Pylade repraesentata esset, nisi duae sacerdotes adessent. Sed hoc mirum atque inexplicabile restat, qualiacumque nomina figuris indimus. Nam idem numen duas habere sacerdotes apud antiquos prorsus inauditum est. Quin statuimus figuram Iphigeniae congruentiae causa duplicatam esse? Multa sunt, quae hanc suspicionem augeant. Primum in speculo aliquo imago huic urnae simillima invenitur (V 117), duo iuvenes nudi, ibi quidem ambo imberbes, in ara insidentes adstante muliere nuda quae dextra gladium tenet. Ibi ne Koertius quidem de Iphigenia Oresteque et Pylade dubitat;

sed urna nulla alia re ab hoc speculo discrepat, nisi quod Iphigenia iterata est. Tum capita resecta hominum antea immolatorum etiam in sarcophago Romano conspiciuntur, qui eandem fabulam inlustrat (Robert, Sarkoph. II 167). Denique magni momenti ad opinionem meam confirmandam alia urna similis est, quam Koertius publici iuris non fecit,[1]) sed delineationem ab Ernesto Eichler solita cum cura confectam hoc loco edendam mihi liberalissime permisit, cui viro praeclarissimo gratias quam maximas agere periucundum mihi officium est. Haec igitur urna easdem quattuor figuras continet atque ea de qua modo egimus. Qui a parte sinistra adsidet iuvenis, simillime repraesentatus est, nisi quod barba caret. Sed alter iuvenis non in ara insidet, sed stat, tristi voltu amicum intuens, dextra autem pugillares tenet. Paene certum esse videtur, hos pugillares litteras esse quas Iphigenia Pyladi tradit, ut in Graeciam profectus Oresti in manus det, cf. Iph. Taur. v. 580 sqq. Quod vero et una ex Iphigeniis et Pylades has litteras tenent, id eodem pertinet ac quod antea in speculo Etrusco observavimus, nimirum et Peliam et Nelea utrumque alveolum tenere (p. 12). Sed ut ad priorem urnam redeamus, duae illae Iphigeniae quamquam congruentiae causa inductae non omni ex parte sibi similes sunt. Nimirum ea quae contra barbatum adstat cum eo benigne loquitur. Unde sequitur eum Orestem esse, id quod iam altera urna conlata confirmatur. Misericordia adspectu fratris movetur, cum altera Iphigenia iuxta Pyladem severo vultu adstet.

Etiam ceteris urnis haec nostra interpretatio, si quidem opus est, magis magisque confirmatur. In urna, quae apud Koertium septima est, pro ara columna amphoram sustinens medium locum tenet; ante eam in saxo Orestes et Pylades, sed locis mutatis, sedent. Nam cum ea, quae in parte dextra conspicitur Iphigenia, iuvenis proximi humerum blande adprehendat, iuvenis autem brachium eius tangat, hic iuvenis Orestes esse debet. Pylades autem tristitia adfectus manum fronti admovet; Iphigenia altera meditans adstat, sinistra caput fulciens, dextra gladium tenens. In urna, quae apud Koertium secunda est, arae aedicula superposita est, quae omphalum

---

[1]) Cf. Koertium, l. c. p. 184, no. 8a.

a serpente circumvolutum protegit.[1]) Utrimque Orestes et Pylades largo vestitu tecti in sellis sedent inter se simillimi. Iphigeniae quoque simillimae sunt, sinistra gladium tenent, dextra patera caput victimarum libant. In angulo dextro post Iphigeniae tergum minister conspicitur, cui in angulo sinistro columna conum sustinens respondet. Huic urnae simillima est quarta, nisi quod ibi aedicula valvis clausa est et a dextra utriusque captivi minister adstat. Unus eorum, is qui prope angulum sinistrum est, pugillares tenet, sine dubio illos quos Iphigenia Pyladi traditura est. In urna quinta pro aedicula pila parva medium occupat. Ministri desunt. In angulo sinistro Diana tunica brevi et calceis venatoriis insignis stat; unde sequitur iuvenem nudum, qui in angulo dextro ad pilam se adplicat, Apollinem esse. Eosdem deos in urna tertia invenimus, nisi quod locum mutaverunt. Dianae pectora nuda sunt, sinistra vaginam tenet, dextrorsum se movet. Apollo ambabus manibus gladium vagina reconditum tenet. Nescio num in aliis quoque monumentis Etruscis Apollo cum gladio inveniatur. In Graecis certe vasculis modo Tityum[2]) modo Gigantas gladio invadit. Atque eodem spectat cognomen Homericum χρυσάωρ.[3]) Ceterum in hac urna columna ionica cum vasculo in medio conlocata est. Unius iuvenis caput pileo Phrygio tectum, alterius deperditum est; sed id quoque pileo opertum fuisse patet. Quod capitis tegumentum in viris Graecis scrupulum moveret, nisi id persaepe ab Etruscis etiam heroibus Graecis dari sciremus. E. g. in urnis ad fabulam Philoctetis pertinentibus I 69, 2; 70, 3 Diomedes pileo Phrygio praeditus est; in illis quas iam citavimus urnis ad Iphigeniam Aulidensem spectantibus I 37, 6; 44, 18. 19 Agamemnon eum gerit. Etiam in urnis I 77, 4. 5, quas Iliupersidem illustrare supra (p. 23) demonstravimus Aiax et Neoptolemus pileo Phrygio praediti sunt. Sed notatu dignissimae duae Iphigeniae figurae sunt, quarum gladium una, altera volumen semiopertum tenet,

---

[1]) Ara simillima in urna, quae Iphigeniae sacrificium exhibet, invenitur, de qua supra (p. 21) verba feci I tb. 47, 25.

[2]) E. g. Furtwängler-Reichhold, Vasenmalerei, tb. 55; tum gigantas impugnans e. g. in calice Berolinensi Aristophanis et Ergini, Wiener Vorlegeblätter I tb. 5.

[3]) Preller-Robert I, p. 290, n. 5.

scilicet litteras Pyladi destinatas.[1]) Itaque iuvenis a parte dextra sedens, ad quem haec Iphigenia adstat, Pylades esse debet. Bracchiorum dextrorum tantum restat, ut pro certo adfirmari possit, manus pateram tenuisse, sicut in urnis 2, 4, 5. Cum in his quattuar urnis capita iuvenum obliqua ad Iphigeniam adversa sint, in urna prima leniter tantum ad eas moventur, cum corpora a fronte conspiciantur. Hic quoque quae iuxta Pyladem stat Iphigenia volumen, quae iuxta Orestem gladium sinistra tenet. In medio ara cum aedicula conspicitur, cuius ante valvas arula posita est. Denique in urna sexta Orestes et Pylades crasso vestitu tecti maesti in saxis sibi oppositi sedentes angulos occupant. Iphigeniae ab eis aversae oculos in deam alatam coniciunt, quae post aram mediocris altitudinis in medio stat. Haec dea manu sinistra facem tenet, altera manum sinistram eius quae a dextra ei est Iphigeniae retinet, ad quam etiam caput retorquet. Ni fallor, eam impedire vult, ne fratris parricidium committat. Itaque rursus Orestes a sinistra, Pylades a dextra positus est. Altera Iphigenia sinistra Pyladis bracchium tangit, dextra gladium tenet. Prioris Iphigeniae dextra nunc gladio caret idque artificis negligentia factum esse putat Koerte. Sed si bracchii et manus habitum accuratius examinamus, suspicio oritur, gladium defractum esse. At mulier illa alata utrum Furia sit an Diana, dubitari potest. Mihi potius Diana esse videtur. Ei enim et fax convenit et alata non raro in urnis Etruscis invenitur, velut in eis quae Iphigeniae immolationem exprimunt I 45, 20; 46, 24; 47, 25 et in eis quae ad Actaeonis mortem pertinent II 3, 2. Actio certe Dianae magis convenit quam Furiae.

Quae si recte disputavimus, etiam aliam urnarum classem, quam Koertius ad Leucippidarum raptum rettulit, ad Iphigeniae fabulam pertinere licet contendere. Quattuor his urnis, quae voluminis secundi in tabulis XXXVII et XXXVIII adumbratae sunt, duo iuvenes communes sunt, qui aut in humero aut in bracchio dextro mulierem portant, quae sinistra deae simulacrum formae antiquissimae tenet (vid. imaginem adpositam

---

[1]) Vide de hac re Birt, Antikes Buchwesen, p. 20, qui epistulas voluminibus inscriptas *βυβλία* adpellatas esse docet.

secundum tabulam tb. XXXVIII 3 redditam). Hos igitur iuvenes Koertius, quem R. Rochette[1]) et Bursian[2]) antecesserunt, pro Castoribus habet, qui Leucippi filias rapiunt. At multa sunt, quae huic interpretationi obstent. Primum id quod ne Koertium quidem fugit, permirum est, puellas libenter se rapi pati, cum in ceteris omnibus eiusdem fabulae imaginibus plus minus



vehementer obnitantur. Id non solum de vasis Atticis et zophoro Trysae reperto, quae a celeberrima Polygnoti pictura pendent,[3]) sed etiam de sarcophagis Romanis eiusdem argumenti[4]) valet. Hanc difficultatem Koertius ita tollere studet, ut novam neque litteris traditam fabulae formam subesse statuat. Scilicet cum in tribus urnis (2—5) Dianam raptui interesse recte observaverit, hanc deam Castoribus

---

[1]) Monum. inédits, tb. 75, p. 400 sqq.

[2]) Arch. Ztg. 1852, p. 443.

[3]) Paus. I 18, 1. Benndorf, Das Heroon von Gjölbaschi, tb. 16; de vasis vide Robert, Marathonschlacht, p. 54 sqq. qui haec enumerat: 1) crateram fig. rubris ornatam (Coghill), Ephem. Gerh. 1852, tb. 41. 2) aliam crateram eiusdem artis (Jatta), Mon. d. Inst. 1885, tb. 16. 3) rotulam fictilem, Ephem. Athen. 1885, tb. 5, 1. 4) Fragmenta amphorae Halis servata Arch. Jahrb. I, tb. 10, 2; vide Kuhnert, Arch. Jahrb. II, p. 274. 5) hydriam Midiae Furtwängler-Reichhold, Vasenmalerei, tb. 8.

[4]) Sarkophag-Rel. III 180, 181, 182, 184, 186; his adde anaglyphum Campanum quod dicitur, Rohden-Winnefeld, Ant. Terrakotten IV 1, p. 116, tb. LXXX 1.

favisse neque igitur puellas retractasse suspicatur. Atque haec quidem fortasse concedenda essent, nisi aliae difficultates accederent. Nam quid sibi volunt simulacra deae, quae virgines secum auferunt? Koertius ad Hyginum provocat, qui in fab. 80 haec narrat: *hae autem formosissimae virgines cum essent et esset Phoebe sacerdos Minervae, (Hi)laira Dianae, Castor et Pollux amore incensi eas rapuerunt.* Huius narrationis fontem ignoramus; sed eam Etruscis notam fuisse posse non nego. Sed de raptu simulacrorum nihil dicit Hyginus. Etiam in vasis Graecis quae paullo antea commemoravi plerumque, ut in Midiae hydria praeclarissima, simulacrum deae alicuius conspicitur, ex cuius templo virgines rapiuntur. Sed in basi sua adfixum restat, neque puellae movere id conantur, neque ullo modo significatur virgines eius deae sacerdotes esse. Tum hoc quoque reputandum est: Dianam apud Euripidem simulacrum suum e terra Taurica rapi non pati solum, sed etiam iussisse, ut in Graeciam transferretur, intellegi potest. Sed eam signum suum etiam ex urbe Graeca in aliam Graecam transferri voluisse, hoc nullo modo credi potest, et exempla opus sunt ad talem opinionem confirmandam. Deinde in aliis omnibus huius argumenti imaginibus curribus Castores vehuntur, qui in urnis desunt. Idem narrat Theocritus 22, 137 sqq.:

> *τὼ μὲν ἀναρπάξαντε δύω φερέτην Διὸς υἱὼ*
> *δοιὰς Λευκίπποιο κόρας· διссὼ δ' ἄρα τώγε*
> *ἐσσυμένως ἐδίωκον ἀδελφεὼ υἷ' Ἀφαρῆος,*
> *γαμβρὼ μελλογάμω, Λυγκεὺς καὶ ὁ καρτερὸς Ἴδας.*
> *ἀλλ' ὅτε τύμβον ἵκανον ἀποφθιμένου Ἀφαρῆος,*
> *ἐκ δίφρων ἅμα πάντες ἐπ' ἀλλήλοισιν ὄρουσαν*
> *ἔγχεσι καὶ κοίλοισι βαρυνόμενοι σακέεσσι.*

Denique rem noctu locum habere Koertius ipse dicit. Quod ut de urna 2 fortasse non recte contenditur, de urna 4 recte iudicatum est. At ceteris in imaginibus Leucippi filiae aut e choreis, ut in vasis, aut ex epulis nuptialibus, ut in zophoro Trysae reperto, rapiuntur. Maximis igitur dubitationibus haec interpretatio subiecta est, cum nova haec fabulae forma a populari diversissima sit et omni verisimilitudine careat. Omnes difficultates tolluntur, si statuimus etiam his in urnis eandem

figuram congruentiae gratia iteratam esse. Tum iuvenes Orestes et Pylades sunt Iphigeniam cum simulacro Dianae auferentes. Iphigenia duplicata est atque, ut ipsa, ita etiam simulacrum ut par erat. Forma simulacri in urnis 1—3 (cf. imaginem) eadem est atque in picturis Pompeianis tribus[1]) in sarcophago Monacensi[2]) in gemma Florentina,[3]) quae imagines omnes ad Iphigeniae fabulam pertinent, scilicet in lignum desinit. In urna 4 velatum est ut in alia pictura Pompeiana[4]) et in reliquis sarcophagis.[5]) Cetera quoque Iphigeniae fabulae unice conveniunt. In tribus urnis prioribus templum, ex quo Iphigenia simulacrum sustulit, angulum sinistrum occupat, in quarta in parte dextra positum est, ita fere figuratum atque in iis quas modo tractavimus urnas II 75, 1 sqq. In urna tertia in angulo dextro porta oppidi (v. imag.), in urna quarta in angulo sinistro porta regiae conspicitur. Ante eam in culcitis duo custodes dormiunt, supra quos Orestes et Pylades transcendunt. Tertius custos experrectus, sinistra rem aliquam attollit, quae quamquam utri similior est quam culcitae, tamen nihil aliud quam culcita esse potest. In urnis 1 et 2 Diana ipsa ante templum suum stat, quae dextra rem incertam, fortasse facem, attollit. In urnae 1 angulo dextro iuvenis columnae dorso se adplicat, quem pro Apolline haberi par est, cf. urnas II 75, 2, 77, 5, de quibus supra egimus. Contra in urna secunda iuvenes Dianae ministra utraque manu facem ardentem tenens antecedit, quam Hecaten nominare licet. Contra quae in urnae quartae angulo dextro adparet dea, unam tantum facem tenens utrum Hecate an ipsa Diana sit, in medio relinquo. Sed quae in urna tertia ante oppidi portam stat dea (cf. imaginem), eam Dianam esse certissimum est. Eius enim est portas et templorum et urbium tueri.[6])

---

[1]) Arch. Ztg. 7, tb. 7, 1; Robert, Sarkoph. II, p. 181; Herrmann, Denkmäler der antiken Malerei, tb. 20. Cf. Helbig, Camp. Wandmalerei 1336 b. Sogliano Pitt. mur. 583, 584.

[2]) II 167.

[3]) Arch. Ztg. VII, 1849, tb. 7, 2. Furtwängler LVIII 6.

[4]) Herrmann, Denkmäler der antiken Malerei, 119. Sogliano l. c. 585.

[5]) II 169. 172. 174.

[6]) Preller-Robert, p. 322, n. 5; Aesch. Septem 449: Ἄρτεμις προστατηρία; Wilamowitz, Aeschylus-Interpretationen, p. 6.

In eadem urna ab altera parte Thoas concitatus ad templi portam properat.

Quae si recte sese habent, his urnis fabulae forma subest quae ab Euripidis dramate aliquo modo discrepat. Nam cum apud poetam Iphigeniae dolo et captivi et simulacrum coram Thoante ad mare abducantur, in urnis Orestes et Pylades noctu clam Iphigeniam cum simulacro auferunt. Nam quod in urna tertia Thoas adest, hoc artificis studio omnes mythi figuras spectantibus ante oculos ponendi tribuendum est. Ceterum ipse Euripides ansam quodam modo ei praebuit, cum Iphigeniam dicentem faceret, v. 996/7:

> *δέδοικα καὶ τύραννον, ἡνίκ' ἂν κενὰς*
> *κρηπῖδας εὕρῃ λαΐνας ἀγάλματος.*

Similis autem fabulae forma in pictura Pompeiana, quam supra tetigi, adgnoscitur (Herrmann 119, Sogliano 585). Iphigenia ibi e templo egreditur anxie oculis circumspiciens; sinistra simulacrum tenet, quod pallio occultare studet. Adsunt Orestes et Pylades vinculis liberi, Orestes in ara sedet, Pylades prope aram stat. Thoas deest. Itaque hic quoque simulacrum clam ex templo rapi videmus, ab urnis autem hoc maxime discrimen est, quod nulla re indicatur rem noctu locum habere. Itaque fortasse post Euripidem, quem hanc fabulam primum in scaenam produxisse constat,[1]) tragicus alius rem ita instituit? Factum id esse posse non nego. Sed si factum est, semen huius inventionis apud ipsum Euripidem situm est, ubi Pylades dicit v. 110—13:

> *ὅταν δὲ νυκτὸς ὄμμα λυγαίας μόλῃ,*
> *τολμητέον τοι ξεστὸν ἐκ ναοῦ λαβεῖν*
> *ἄγαλμα πάσας προσφέροντε μηχανάς.*

Itaque quod illic Pylades proponit, perficere autem prohibetur, id quamquam alio quodam modo, scilicet Iphigenia adiuvante, in urnis fieri videmus. Atque nemo est qui ignoret, etiam ipsos artifices nullo poeta intercedente hac via novas fabularum formas procreasse; nempe quod in litteris aliquis intendit aut minatur neque tamen peragit, id re vera factum esse fingunt,

---

[1]) Robert, Arch. Ztg. 1875, p. 134 sqq.; Arch. Märchen, p. 146 sqq.

cuius rei varia exempla conlegit Robertus.[1] Idem in Iphigeniae fabula evenire potuit, ut de tragoedia deperdita cogitare minime necesse sit.

Contra nihil cum Iphigenia fabula commune habent tres illae urnae (I 84. 85, 1—3) quas Brunnius ad eam rettulit. Seduxit virum incomparabilem habitus iuvenis nudi qui Oresti captivo et in gemma aliqua[2] et in sarcophagis Romanis[3] reddito simillimus est. Sed eundem habitum iuvenis aliquis in urna a Brunnio ad Ulixem procos necantem vix recte relata[4] prae se fert, qui pro Oreste haberi nullo modo potest (I 98, 8), neque quicquam urnarum scalptoribus solemnius est quam figuras ex alius argumenti imaginibus depromptas in usum suum convertere, de qua consuetudine mox accuratius disputabimus. Seduxit praeterea tabula quam mulier nuda iuxta eum iuvenem posita in una urna (2) manibus tenet. Itaque eam pro Iphigenia habuit. Haesit ipse quidem in mulieris nuditate; sed eam Penelopae et Cassandrae exemplis excusare studuit. At haec exempla non nimis evincunt. Nam Penelope in illa, de qua Brunnius cogitat, urna ad procos occaecandos omni mundo se exornat (I 99, 1) et, ut recte iudicat Franciscus Müller l. c. p. 85, ad Veneris exemplum efficta est. Cassandrae vero quam in eis quae Euripidis Alexandrum inlustrant urnis (I 11, 24; 16, 34) interdum nudam videmus tamquam vati nuditas unice convenit, qua de re egregie egit Ferdinandus Dümmler.[5] Quae omnia in Iphigeniam non cadunt, quam in iis de quibus modo disputavimus urnis semper caste vestitam invenimus. Tamen concedendum est Etruscis artificibus nuditatem vel maxime in deliciis fuisse, ita ut e. g. in speculis quae supra (p. 12) commemoravimus vel Tyro inter filios suos nudam repraesentarent. Itaque huic difficultati non nimium tribuendum esse censeo. Sed alterum iuvenem qui si haec interpretatio

---

[1]) Bild und Lied, p. 69 sqq. Oidipus I, p. 9; II, p. 136, n. 18.

[2]) Furtwängler, Gemmen, tb. 67, 24; Overbeck, Gall. her. Bildw. 30, 3; sed confer gemmam Berolini servatam (Furtw. 8859), in qua Achilles et Patroclus eodem modo ac in alia gemma Orestes et Pylades exprimuntur.

[3]) Overbeck, l. c. 30, 5; Robert, Sarkoph. II 177. 178.

[4]) Sobrie de ea iudicat Franz Müller, Die ant. Odyssee-Illustrationen, p. 102 sqq.

[5]) Kleine Schriften II 405 sqq.: Über den Ursprung der Elegie.

staret Pylades esset, cithara canere, ut Orestem consoletur,[1]) id quod in urna tertia videmus, hoc quidem nullo modo credi potest. Neque equum frenatum quem in urnis secunda et tertia conspicimus habemus quo referamus, si de Iphigenia et Oreste agitur. Sed quid multa? Tres hae urnae ab iis tribus disiungi non possunt, quas ad Caci historiam pertinere praeclare evicit Koerte (II tb. 119 et p. 256). Id quod et ipsum Koertium, cum rectam interpretationem pronuntiaret, et Robertum, cum quaestionem retractaret,[2]) fugisse videtur. Atque his tribus urnis accedentibus fieri non potest quin Roberti interpretatio aliquo modo corrigenda et amplificanda sit. Nam novi aliquid hae urnae adiciunt: feminam illam nudam quam pro Iphigenia Brunnius habuit. Quae cum semel tabulam teneat, fuit cum pro Sibylla eam haberem quae et ipsa ut Cacus in Palatino sedes habebat.[3]) Sed talis vatum duplicatio permira esset. Itaque Artilis uxorem esse suspicor qui maritum ad Cacum comitata sit; tabulam autem oraculum ab illo datum continere.[4]) Cui figurae ut locus daretur, in urnis prima et tertia unus Vipinnarum omissus est. Deinde notatu dignum est in urna prima Cacum pro lyra aut, ut Brunnio visum est, pugillares aut fortasse arcam sortes sacras continentem tenere, iuxta eam Furiam gladium gerentem, post mulierem quam pro Artilis uxore habemus ministram patellam fructibus plenam ad rem divinam faciendam attollentem adparere. Sed magnas difficultates adfert urna secunda. Cum urnis prima et tertia figuras Artilis uxorisque et unius Vipinnarum, cum prima ministram et Furiam quae tamen dormiens humi sedet, cum tertia equum communes habet. Itaque dubitandum non est quin ad eandem fabulam spectet. Sed, quod maxime mirandum est, Cacus omissus est, pro eo duo iuvenes inducti sunt, quorum unus gladium strictum manu tenens alterum vinculis liberat. Similis res in sepulcri, cui Alexander François

---

[1]) Brunnius l. l. p. 110.

[2]) Cacus auf etruskischen Urnen, Festschrift für Blümner, p. 75 sqq.

[3]) Servius, Aen. 6, 72; Sueton, Augustus 31, vide Robert l. c. p. 84.

[4]) Quam ad rem conferendi sunt adulescentes oraculum in tabulam inscribentes in zophoro Erechthei (A.-D. II 33, 5) et arae Pergamenae minore (Altertümer von Pergamon III 2, tb. 31, 1). Vide de hac re quae disseruit Robert (Arch. Jahrb. III [1888] p. 59 et Herm. XXV [1890] p. 437/8).

nomen dedit, pariete conspicitur (Arch. Jahrb. XII, p. 70), ubi vincto nomen *Caile Vipinas*, liberatori eius *Macstrna* adscriptum est. Iniuria igitur Robert hunc parietem ab urnis segregavit. Immo hoc testimonio nisi non dubitabimus etiam in urna vinctum Caelium Vipinam, liberatorem Mastarnam nominare. Hoc quoque pictura cum urna commune habet quod Aulus Vipinas liber est, qui urnae angulum dextrum tenet, in pariete adversarium trucidat cui *Venθι Cau[le]ś plsaχ* adscriptum est. Sed in pariete Artiles deest; eius partes Tarchon habere videtur. Itaque quamquam mythus idem, tamen mythi forma diversa esse videtur, cum quae in pariete Tarchoni, ea in urnis Artili accidant. His perspectis iam videamus, quid novi nobis urna haec secunda de historiae processu doceat. Recte mihi Robert intellexisse videtur, Artili a Caco magnam calamitatem in posterum praedici, sed Vipennas, cum ei in Caci ipso sacro insidiarentur, vatis maiestate coerceri. Iam quod in urna secunda repraesentatum videmus, multo posteriore tempore acciderit necesse est. Discimus Artilem non solum Vipennarum insidias effugisse sed etiam postea occasione data unum eorum cepisse et in vincula deduxisse. Sed a fratre et Mastarna liberatur. Atque tum Artilem morte adfectum esse nostro iure conicere possumus. En calamitas ei a Caco praedicta. Unum restat quod scrupulum moveat, gladius sive culter quem ministra tenet, qui sacrificio incruento minime conveniat. Sed animadvertendum eundem locum in aliis urnis unum Vipennarum gladio stricto tenere. Itaque suspicor scalptorem mira socordia has duas figuras angulares confudisse et contaminasse, qui ne id quidem consideravit, neque huic ministrae neque equo in ea quam exprimere vult re locum esse.

Sed non solum singulae figurae, sed etiam plures eadem actione comprehensae congruentiae gratia duplicantur. Cuius rei exemplum egregium praebet urna, quam Koertius de interpretatione desperans eis adiunxit, ubi duo iuvenes in ara praesidium quaerentes expressi sunt, II 80, 1. 2; 81, 3. Sed in ea de qua agimus urna II 81, 4 (v. imaginem p. 40 insertam) haec ara deest. Imago ita bipertita est, ut unum dimidium alterum quasi speculo reddat, ut, si tabula per medium difissa duas partes complicueris, singulae figurae fere se tecturae sint. Itaque simile

quid hic invenimus atque quod in Centaurorum Amazonumque imaginibus observavimus (p. 21 s.), nisi quod eadem actio bis expressa est. Sunt autem utrimque quinque figurae eaedem ut iam dixi. Heros aliquis genu nisus mortuum humi iacentem spoliaturus erat, cuius praeter caput et bracchium nihil oculis subiectum est. Sed supervenit vir galeatus et loricatus, ut spoliationem prohibeat. Huic autem se obicit vir clipeatus et arma cum eo confert. Inter pugnantes quintus vir obstupefactus bracchium tollit. Quamquam similia in Iliade saepius eveniunt,



tamen optime cum urna convenit libri XVII initium, si licentiae quam in inlustrandis poetis artifices sibi sumebant rationem habemus. Patroclum spoliare Euphorbus conatur; Menelaus eum ingreditur, paullo post Hector in Menelaum impetum facit. Figura quinta fortasse Apollo est qui Mentis figura indutus Hectora impellit. Sed hoc quidem satis incertum esse concedo. Ceterum in tanta congruentia ne differentiae quidem omnino desunt tales quales etiam in urnis quae ab Iphigenia Taurica pendent observavimus. Quarum summa est, quod a parte dextra temporis momentum paullo anterius expressum est quam a sinistra. Nam hic Menelaus sinistra capillum Euphorbi

adprehendit, illic bracchium sinistrum contra Hectora tendit, ni fallor scuti marginem eius adprehensurus. Quocum cohaerere videtur, quod hic Euphorbus etiam gladium tenet, qui illic ei deest. Leviores differentias missas facio.

Eodem congruentiae studio commoti urnarum scalptores figuras addunt quae ab argumento prorsus alienae sunt. Quod factum esse puto in urnis quae Troili historiam repraesentant, I 48 sqq. Exeundum autem est ab eis exemplis quae Achillem cum Troili capite abscisso ad aram, Apollinis Thymbraei scilicet ad quam puer occisus est, confugientem ostendunt (29—36). Utrimque Priami filii, Hector et Deiphobus, praeterea Aeneas, ut vasa Graeca docent,[1] impetum in eum faciunt. Huc usque omnia bene se habent et cum mytho Graeco optime conveniunt. Sed in omnibus his urnis iuxta Achillem alium armatum, modo barbatum modo imberbem, in ara insidentem invenimus,[2] habitu Achilli simillimum, ut Pyladem iuxta Orestem in ea de qua supra (p. 27) egimus urna, I 82, 14, 15. Socium Achillis eum esse elucet. Sed hoc ipsum mytho Graeco repugnat. Nam eius summa est Achillem primis belli Troiani diebus, cum nemodum Achaeorum ad Troiae murum adpropinquare auderet, nullo comite ad fontem urbi vicinum se reddidisse, ibique Troilum et Polyxenam deprehendisse. Ita solum eum post fontem insidiantem videmus in Timonidae aliisque eiusdem argumenti vasis,[3] solum Troilum persequentem in Clitiae cratere et alibi,[4] solum puerum necantem in Onesimi calice,[5] solum cum Priamidis arma conferentem in amphora Monacensi,[6] nemine adiuvante praeter Minervam et Mercurium. A Graeco sive poeta sive artifice sensum historiae

---

[1]) Crater Clitiae, F.-R., tb. 12; amphora Tyrrhenica Monacensis (Thiersch, Tyrrhenische Amphoren, tb. 1).

[2]) Semel (in urna 34) nondum sedet, sed ad aram adcurrit.

[3]) Athen. Mitt. 1905, tb. 8; Lecyth. Corinth., Arch. Ztg. 1856 (tb. 91, 1; p. 226 sqq.), et in vas. Berol., Furtw. 1694, 1966. Vas Lacon., Arch. Ztg. 1881, p. 243/4.

[4]) Mon. d. Inst. X 22, 1; Gerh., A.-V. III, 185; Jahn, Teleph. u. Troilos, tb. 2, 4; Furtw., Berl. Vasens. 1895; Annali 1835, p. 119 et 1850, p. 85 et in vas. Berol., Furtw. 1685, 1728, 1742.

[5]) Hartwig, Meisterschalen, tb. 58/59, p. 539; Journ. of Hell. Stud. 1915, p. 128.

[6]) Thiersch, Tyrrh. Amphoren, tb. 1.

ita turbatum esse, ut Achilli socius daretur, vix credi potest. Itaque nostro iure statuimus, hunc comitem ab ipsis scalptoribus urnarum eo consilio additum esse, ut *συμμετρία* crearetur. Quae cum ita sint, ab omni nominatione abstinendum esse dicerem, nisi in speculo Etrusco (V 110), quod eandem imaginem exhibet, huic heroi Aiacis nomen adscriptum esset, quam interpretationem iam Brunnius, cum de his urnis ageret proposuerat.[1]) Atque concedendum est faciem huius figurae Aiaci unice convenire. Itaque artifices Etrusci aut a principio Achilli hac in re Aiacem comitem contra omnem rationem dederunt aut comitem anonymum postea pro Aiace habuerunt. Eundem comitem etiam in duabus illis urnis invenimus quae Achillem puerum ad aram trucidantem ante oculos ponunt 27,[2]) 28.

In ceteris vero urnis quae ad mortem Troili spectant puer equo aut vehitur aut vectus erat. De hoc equo, priusquam longius progrediamur, pauca monenda sunt. In carminibus epicis heroes equis ad equitandum non uti nemo est qui nesciat. Insequenti vero aetate equus currus locum occupat. Utebantur eo, ut ad adversarios celerius adpropinquarent, tum autem desiliebant et pedibus pugnabant,[3]) dum puer alteri equo insidens domini equum tenet. Ita in vasis antiquioribus Troilum duos equos quorum uni insidet aquatum ducentem videmus. Sed posteriore tempore, quo equitandi studio homines indulgebant, quid mirum Troilum quoque altero equo omisso tamquam verum equitem repraesentari? Talem eum iam Sophocles in Troilo suo induxisse videtur, si quidem scholia Townleyana (Ω 257) in hac fabula *αὐτὸν ὀχευθῆναι* (*λογχευθῆναι* Welcker, *λοχηθῆναι* Maass) *ἵππους γυμνάζοντα παρὰ τὸ Θυμβραῖον καὶ ἀποθανεῖν* vera testantur. In hac igitur fabula, ut in vasculis antiquioribus, minimum

---

[1]) Aliter de socio Achillis iudicat Schreiber, Ann. 1875, p. 207; qui Patroclum eum esse, qui fortasse e tragoedia Phrynichi depromptus esset, coniecit. Sed Phrynichi tragoedias post saec. V etiam artificibus notas fuisse verisimile non est.

[2]) Hac in urna Troilus Troilo Onesimi non dissimilis est. Fortuitum hoc fortasse est, sed tamen notandum.

[3]) Cf. vas. Corinthium, Mon. Piot 1908, tb. 14 et vide quae disputavit Helbig, Equites singulares, Münchener Abh. 23, p. 269 sqq.; Mém. de l'Institut. 37 (1902), p. 157 sqq.

duos equos habuisse videtur, nisi forte curru eum vectum esse statuimus, sed iam in calice rubris figuris ornato, Sophocle anteriore (Arch. Zeitg. 1871, tab. 48), Troilus uno equo vehitur, tum in inferioris aetatis vasculo quod O. Jahn (Telephus und Troilus und kein Ende, tab. 3) cum Sophoclis tragoedia quodam modo cohaerere fortasse recte iudicavit, Troilus unum tantum equum loro ducit. Aliae vero imagines Graecae quae Troilum ut equitem repraesentant notae mihi non sunt. Secuntur urnae Etruscae. Etiam in pariete quodam Pompeiano [1] et in sarcophago Romano [2] Troilus dum ab Achille necatur equo vehitur. Sed cum in sarcophago scutum, in pictura hastas gerat,[3] ea fabulae forma subesse videtur quam Vergilius Aen. I, v. 474 sqq.:

> parte alia fugiens amissis Troilus armis
> infelix puer atque impar congressus Achilli
> fertur equis . . .

et Seneca in Agamemnone v. 744:

> te sequor nimium cito
> congresse Achilli Troile

significant. Tamen Vergilius ab his duabus imaginibus eo discrepat, quod non de uno, sed de pluribus equis loquitur, ita ut Troilum curru vehentem animo sibi finxisse videatur. Idem videmus in sexti saeculi exeuntis calice Attico, unico Graeco artificio,[4] quod hanc fabulae formam, etiam Plauto Bacch. 354 notam repraesentat. Ceterum de ea conferas Kiesslingium Anal. Plaut, p. 16, Robertum Bild und Lied, p. 125, n. 60.

Sed ad urnas, in quibus Troilus equo vehitur revertamur. Quarum duae distinguuntur classes; in una equus etiam erectus adspicitur, in altera humi cecidit. Atque ut ab altera initium faciamus, duae eius classis urnae hoc proprium habent, ut

---

[1]) Arch. Ztg. 28, tb. 36, 1. Sogliano Pitt. mur. 548.

[2]) Sarkoph. II 63 a.

[3]) Idem videmus et in Clitiae cratere (cf. Atene e Roma V, p. 710, f. 3) in Brygi calice (Mon. Piot XVI 1908 tb. 15) in alio ineuntis V. saeculi vasculo Attico (Jahn, Tel. et Tr. 4), sed cum ibi Polyxena adsit, Troilum non in campo Achillem petivisse, sed ut in ceteris vasis sorori ad fontem comitatum esse luce clarius est.

[4]) Mon. d. Inst. 10, tb. 22, 2; Jahn, Telephus et Troilus u. k. E., tb. 2.

Achilles et socius eius, eodem modo atque in eis de quibus modo diximus urnis in ara, in equo, dorso aut latere iacente, uno genu nitantur, Achilles autem caput Troili abscissum manu teneat, 14, 18. In omnibus aliis Troilus etiam vivus equo cadenti insidet, 15—17, 19—26. Achilles plerumque eum capillis ab equo detrahit, ut in vasis Graecis nonnullis, velut in calice Onesimi; semel tantum 15 gladium destringens contra puerum stat. A dextra vero parte semper alter armatus Achilli, habitu ei plerumque persimilis, oppositus est. Atque his quidem in urnis primo dubitare aliquis possit, utrum alter hic pugnator et ipse puerum adgrediatur an ei auxilium ferat, utrum socius Achillis an Troili frater sit. Auget hanc dubitationem urna decima septima, ubi post hunc militem feminam seminudam, quam homo clipeatus sequitur, adspicimus, sive Hecubam sive Polyxenam. Sed cum eadem figura sine clipeato in angulo sinistro congruentiae causa repetita sit, huius argumenti auctoritas nulla est. Tum in urna 22 clarissimum est, alterum pugnatorum ictum puero inferre. In urna 26 et Achilles et alter miles Troilum lanceis petunt; etiam in urna 23 ille lanceam tenet, et, ni fallor, Achilli quoque, cuius dextra nunc deperdita est, lanceam tribuere debemus.[1]) Denique in urnis 21, 22, 24, 25 binae figurae[2]) Troili vitam deprecantes utriusque militis genua amplectuntur, ut luce clarius sit etiam ab altero pugnatore puero periculum intentari. Haec omnia probant alterum militem non Troili fratrem, sed Achillis socium esse, congruentiae gratia additum.

Iam si ad priorem classem nos convertimus, ubi Troilum equo fugientem, Achillem persequentem videmus, idem dubium oriri potest. Nam in urna octava post tergum alterius pugnatoris Troiae urbis porta est effícta, ex qua Priamidarum unus egressurus est, ut fratri auxilium ferat, Priamo perterrito dextra elata

[1]) Mero casu fieri ut etiam apud Sophoclem Troilus ab Achille lancea occidatur vix est quod moneam.

[2]) In urna 21 duae puellae sunt, ut de Polyxena cogitari possit. Sed in urna 22, ubi supplicum sexus diversus est, Polyxena in superiore imaginis parte supra Troilum passis capillis adposita est, ut ab omni nominatione abstinere satius ducam. Ceterum hac occasione utor ad monendum etiam in aliis quattuor urnis Polyxenam adesse, aut capillis passis 25, 26, aut veste sua velificantem 23, 24.

adstante.[1]) Itaque aliquis credere possit etiam armatum illum paullo antea ex porta egressum et pro Hectore habendum esse. Quo statuto etiam in urnis tertia, quarta, tertia decima de Hectore cogitare possis. Sed in nulla harum urnarum satis clare expressum est hunc militem Achillem et non Troilum invadere; in ceteris omnibus eum puerum petere certum est. Et in urna octava hunc militem e porta egressum esse, ut iam diximus, cogitari quidem potest; sed re vera egressum esse minime necessarium est; porta enim urbis etiam in urna secunda iuxta hunc militem adparet, ubi is gladio elato puero minitatur. Tum perpendamus quantum in arte antiqua valeat figurarum ordo et constantia. Quod qui cognitum habet, nullo modo concedere potest, in tribus quattuorve urnis Achillis illi socio anonymo Hectorem habitu simillimo substitutum esse. Quae cum ita sint, nostro iure statuimus in omnibus his urnis Achilli comitem a Graeca fabula alienum additum esse.

Etiam de figuris completivis quae dicuntur nonnulla disserere non absque re erit, quae aut spatii explendi causa aut alia ratione additae sunt. Itaque in urnis tertia, quinta, nona sub equo Troili arma quaedam conlocata sunt, in urnis vero secunda, quarta, octava, undecima, duodecima, tredecima vir aut humi iacens aut praecipitans, Troianus scilicet, cui secundum ea quae supra disputavimus hac in re non magis locus est quam comiti Achillis. In urna autem septima hunc locum ipse Priamus diademate insignis tenet.[2]) Hoc eo pertinet, quod artifices fere omni tempore student omnes quae cum historia inlustrata aliquo modo cohaerent personae spectantibus ante oculos ponere. Maxime hoc proprium est artis antiquioris,[3])

---

[1]) Conferre iuvat et Clitiae cratera, ubi Priamo ante portam sedente Hector et Polites exeunt, et hydriam paullo posteriorem (Mon. d. Inst. I 34) in qua pugna cum Troili morte coniuncta est, nisi quod tot saeculis interpositis ullam inter haec vasa et urnam illam necessitudinem intercedere nemo contendere ausit.

[2]) Hoc diadema signo est, iniuria Braunium et Brunnium de paedagogo Troili cogitasse, pro quo alia eiusdem urnae persona habenda est, v. infra p. 46.

[3]) In vasculo Timonidae post Achillem insidiantem Priamus cum alio sene Troiano adstat, in catillo quodam Athenis adservato Wien. Vorlegebl. II, 6 (Conze) Achilles arma capiens exprimitur coram Peleo, Thetide, Neoptolemo, vide Heydemann, Griechische Vasenbilder VI 4.

sed ne a sarcophagis quidem Romanis alienum.[1]) Magis mytho Graeco convenit quod in urnae tertiae angulo sinistro Polyxena conlocata est, in urna septima in utroque angulo duplicata conspicitur; similiter eam in urna 17 iteratam esse iam supra (p. 44) monuimus; in urna 13 a parte dextra adcurrit, in urna 12 ante Troili equum humi sedet.[2]) De eiusdem in urnis 22, 23, 24, 26 figura iam supra (p. 44 n. 2) disputavimus. Alius notae iuvenis esse videtur quem in urna septima ante Troili equum fugientem videmus. Armis cum careat, neque miles Troianus neque Priami armiger esse potest. Petasus hominem inferioris ordinis significare videtur. Itaque ni fallor Troili servus est, nisi rectius dixerim paedagogum. Nam artifici sine dubio licuit huius aetatis puero ex sui temporis moribus paedagogum tribuere, etiam si nullus poeta id finxisset. Sed finxit Sophocles, ut fragmenta 562 *τὸν ἀνδρόπαιδα δεσπότην ἀπώλεσα* et 563 *σκάλμῃ γὰρ ὄρχεις βασιλὶς ἐκτέμνουσ' ἐμούς* docent, unde elucet eum ut eunuchum inductum fuisse. Atque in vasculo Jahniano (cf. supra p. 43) hic paedagogus tamquam adulescentulus imberbis repraesentatus est.[3]) Tum in urnae 13 angulo sinistro hominem barbatum sinistrorsum aufugientem conspicimus qui modo paedagogorum vestitus est. Id quod iam Brunnius animadvertit, tamen ita eum interpretari dubitavit, quod sinistra gladium vagina conditum teneret. Sed huic rei non nimium tribuendum esse puto. Nam perbene cogitari potest, Priamum paedagogum Troilum extra muros comitaturum gladio armavisse. Sed probabilius est de scalptoris socordia agi. Eandem figuram eodem loco in urna octava conspicimus;

---

[1]) II 47 c, in quo Priamus coram Andromacha corpus Hectoris ab Achille petens exprimitur, et III 161 et 163, in quibus Theseus et Phaedra congruenter in angulis positi in una eademque scaena adesse finguntur, id quod Euripidis tragoediae quam maxime repugnat.

[2]) Hac sola in urna Achillis comes deest. Eius locum tenet iuvenis utraque manu serpentem tenens; quem daemonem esse posse propter vultus mansuetudinem negat Brunn, ipse de nominatione desperans. Sed cum iuxta eum furia conspiciatur, vix aliam explicationem relinqui puto. Et eundem daemona in vasculo Etrusco quod Orphei fabulam inlustrat (Ann. 1879 tb. V) inveniri monuit Koerte. Alterum huius vasis latus Cadmi fabulam inlustrare conlata urna quae in vol. II, tb. 7 reddita est suspicor.

[3]) Nihil ad rem quod in calice quem supra p. 43 commemoravi Troianus aliquis scythico modo vestitus et bipennem tenens dextrorsum aufugit.

cum manus deperditae sint, num hic quoque gladium habuerit, diiudicari nequit; sed verisimilius est eum perterritum manus inanes sustulisse.

Iam vero denuo animum in eas urnas intendere debemus quae Troilum dextrorsum versum in equo cadenti insidentem ostendunt, tb. 57—60, 19—26. Sane etiam in calice Attico cuius iam bis mentionem feci, puer in equo cadenti insidet,[1] sed nulla intercedit inter has imagines figurarum similitudo. Eo magis est cum Persa illo nobili, qui in celeberrimo musivo Pompeiano ab Alexandro transfoditur.[2] Quod musivum a Philoxeni Eretriensis pictura pendere hodie inter peritos constat. Sane haec figura Philoxeno multo anterior est, iam in Minervae Victoriae templi zophoro invenitur et fortasse recte a Benndorfio ad Polygnotum relata est.[3] Sed antiquiora exempla, ubi de urnis agitur, nullius momenti sunt. Philoxeni autem picturam scalptoribus urnarum non solum cognitam fuisse sed etiam compendiose redditam esse nemo est qui nesciat (Wien. Vorl. S. IV, tb. 8).[4] Itaque nostro iure statuimus hanc Persae figuram ab iis ad Troilum translatum esse.[5] Quid quod etiam ipsius Alexandri figuram ex eadem pictura depromptam in aliis urnis deprehendimus II, tab. 89, 90; ibi enim equitem Alexandro illi simillimum impetum facere videmus in puerum, qui ad paedagogum suum refugiens ab eo protegitur. Hae quoque figurae exemplum Graecum ad aliam fabulam pertinens imitantur; nam primo obtutu adparet eas ad statuas quae Niobidarum natu minimum cum paedagogo repraesentant redire.[6] Itaque haec imago ex duobus exemplis Graecis inter

---

1) Vide etiam cratera Viennae adservatum qui idem momentum exhibet, Sacken-Kenner, Samml. d. K. K. Münz. u. Antiken-Kab. no. 225.

2) Contra in eis urnis, ubi sinistrorsum Troilus spectat, figura diversa est. Quibus comparatis necessitudo, quae inter musivum et alias illas urnas intercedit, etiam manifestior fit.

3) Heroon v. Gjölbaschi-Trysa, p. 138 ss.

4) Nunc multo melius in Koertii volumine tertio tb. CXI et CXII.

5) Similiter qui in urna octava sub equo Troili iacet Troianus (cf. supra p. 45) ad Galli moribundi, qui olim doni votivi Attali pars erat, exemplum expressum est, id quod iam perspexit Brunnius p. 57.

6) Cuius figurae tria extant exempla: 1) Florentiae; 2) Parisiis; 3) in museo Ny Carlsberg, vide Stark, Niobe tb. 16, 9; Dütschke, Antike Bildwerke III 142 sqq.; Hübner, Revue archéol. 1909, p. 79 sqq., tb. 1.

se diversissimis conflatum est. Praeter has figuras principales fere semper sub herois equo virginem plerumque seminudam iacentem videmus. Ceterae figurae minoris momenti sunt. Bis mulier seminuda calceis venatoriis insignis equitem retinere studet; Furiam eam recte nominare Koertius mihi videtur; in urna 5 altera Furia, in urna 4 iuvenis aliquis equum adprehendere studet. Koertius de Athamantis insania cogitavit, quae interpretatio dubitationibus nonnullis subiecta esse mihi videtur. Fac in arte Etrusca, ut postea in Romana, omnem heroa equo uti posse, at ubi est in Athamante, qui perhibetur, ullum insaniae vestigium? Furiam adesse respondeas; sed ea incitare Athamanta, non retinere debebat. Tum vero desideratur Ino, quae, si Koertii opinio constaret, nullo modo deesse posset. Denique Learchus a patre non percutitur, sed e rupi deicitur. Magis adridet Connestabilis interpre[illegible] Koertio me quidem iudice immerito repudiata. Ille [illegible] ad Troili mortem has urnas rettulit. Nam quod in illis de quibus antea disputavimus urnis haec res plane aliter figurata est, id huic interpretationi minime obstat, praesertim cum consideraveris illas exempla Graeca imitari, has si quidem recte disputavimus ab ipsis scalptoribus Etruscis ex alienis elementis compositas esse. Favet autem huic interpretationi, quod paedagogus ille Troilum protegens etiam in duabus urnis (I 14, 29 et 30) invenitur, quae Alexandri agnitionem exprimunt. Iniuria enim Brunnius negavit, de Troilo cogitandum esse (p. 18), quippe qui eo tempore nondum adultus fuisset. Eiusmodi enim deliberationes litteratum potius quam artificem decent. Tum virginem sub equo iacentem Polyxenam esse, vix est quod moneam. Neque in Furia offendendum est. Troili enim occisio semper Achilli crimini data est, quod luere debebat, cum eodem loco, scilicet in Apollinis Thymbraei sacello, a Paride necaretur.[1]) De quattuor vero urnis, quas Koertius his adiunxit (tb. 91, 92), quod cum eis figuras nonnullas, praecipue equitem ad Alexandri exemplum expressum, communes habent, nihil adfirmare ausim; sed posse et ipsas ad Troili fabulam spectare minime negaverim. In secunda

---

[1]) Vide Hellanicum, fr. 135; Schol. Eur. Hec. 41; Troad. 16; cf. Wilamowitz, Hom. U. 181; Robert, Bild und Lied, 125 sqq.

certe paedagogus cum puero adest, equitem non puerum, sed virginem, Polyxenam scilicet, lancea petere artificis libidini tribui potest. Ea quae Polyxenam quam putamus sustinet mulier dextram supplicem ad equitem tendens Hecuba esse potest. Ceterae figurae completivae esse videntur. In urna prima paedagogus solito habitu adest, sed puer deesse videtur, nisi is est quem sub equo Achillis quem diximus iuxta virginem sedentem prostratum videmus. In urna tertia supra equitem virgo veste sua velificans adparet, qualem in eis de quibus supra egimus urnis I, tb. 59, 23. 24 Polyxenam invenimus. Eius sub equo locum figura vestitu muliebri tenet, quae bracchio sinistro scutum gerit, res admodum mirabilis. A dextra eius puer genibus nititur, quem sequitur paedagogus, sed imberbis et pusillus. Fieri non potest quin scalptor exemplum suum pr[illegible]me intellexerit. Quae suspicio eo confirmatur, quod Po[illegible] quam putamus a duabus puellis circumdatur, quae miram quandam rem in apsida curvatam manibus tenent. Hanc rem pro caeli imagine haberes,[1]) nisi forma igni similis esset. Denique in urna quarta virgo seminuda sub equo sedet, iuxta eum puer in genua procumbit; sed quod in Troilo satis mirabile esset, lorica praeditus est. Paedagogus deest, nisi pileatus ille est, qui et ipse in genua procumbens virginis bracchium dextrum comprehendit. Haec autem omnia tam mira sunt, ut a certa interpretatione abstinere satius existimem.

Itaque exemplis probavimus urnarum scalptores nonnumquam figuras ex imaginibus prorsus alias fabulas inlustrantibus mutuari et in usum suum convertere. Ita etiam explicari puto, quod in urnis quae Agamemnonis mortem exhibent (I 79, 1, 2; 85, 2) Clytaemestra pro securi scamno utitur.[2]) Nam figuram simillimam in sarcophago Petropolitano Aegisthum scamno ab Oreste defendere videmus, quam Erigonam Aegisthi et Clytaemestrae filiam esse evicit Robertus.[3]) Itaque ex


---

[1]) Ut in lorica Augusti statuae (Arndt-Bruckmann, Portraits Taf. 701/3; Studniczka, Röm. Mitt. 25 [1910], p. 31, f. 1; p. 32, f. 2. Cf. O. Jahn, Arch. Beitr. 85, 28) et in statua Berolini adservata (Beschr. d. ant. Skulpt. d. Berl. Mus. 82).

[2]) In quarta urna I 75, 3 instrumentum deperditum est, ut res incerta sit.

[3]) Robert, Sarkoph. II 154 p. 166 et Bild und Lied, p. 185, n. 34.

pictura quae sarcophago illi subest scalptores Etrusci Erigonam deprompserunt et in Clytaemestram mutaverunt.[1]) Tum in urnis quae ad Pelopem et Hippodamiam spectant (II, tb. 49 sqq.) Hippodamia plerumque a Pelope adiuta de curru descendens conspicitur (2—7), semel erecta iuxta eum in curru



stat (1); sed semel scilicet in ea urna quae in tabulae 52 parte inferiore sine numero reddita est (v. imag. adpositam), a iuvene, de cuius nomine mox disputatura sum, librata ita bracchiis tenetur, ut a tergo adspiciatur. Haec est Plutonis Proserpinam rapientis figura, qualis in nummis, in anaglypho eburneo Pompeiano, in sarcophagis romanis invenitur.[2]) Hunc

---

[1]) Eiusmodi figura scamnum tollens etiam in urna voluminis tertii tb. VII 8 exprimitur, quae nihil cum matricidio Orestis commune habet.

[2]) a) Overbeck, Kunstmyth. III, Münztaf. 9, 7—13; b) Atlas tb. 18, 4a; c) Atlas tb. 17, 1—8; 22, 23. Tum vide calicem Homericum, Journ. of Hell. St. 1902, p. 3, fg. 2 et pateram Canolei, Pagenstecher, Calen. Ceram. p. 74, no. 114. Ad aliam raptus Proserpinae figuram Amphiaraum terra mersum redire qui in urna in tb. II 25, 2 expressa conspicitur, Robert, Oidipus II, p. 89, n. 163 demonstravit.

igitur iuvenem Koertius Pelopem vocat, eundem in parte sinistra, ubi rota Oenomaum occidit, repetitum esse dicit. Sed duas scaenas diversas eadem urna contineri inanditum est. Contra recte Koertius Brunnii opinionem reiecit, qui Oenomai interfectorem hac in urna pro Myrtilo habebat; nam ceterae urnae (tb. 41—48) probant, hoc crimen semper a Pelope committi, qui hanc ad rem plerumque rota utitur (2, 3, 10, 11, 13, 14, 15). Quid igitur relinquitur? Opinor raptorem Hippodamiae in urna nostra Myrtilum esse. Obversabatur scalptori ea fabulae forma quam Apollodorus ita tradit (epit. 2, 8): *λαβὼν οὖν Πέλοψ τὴν Ἱπποδάμειαν καὶ διερχόμενος ἐν τόπῳ τινὶ τὸν Μυρτίλον ἔχων μεθ' ἑαυτοῦ μικρὸν ἀναχωρεῖ κομίσων ὕδωρ διψώσῃ τῇ γυναικί. Μυρτίλος δὲ ἐν τούτῳ βιάζειν αὐτὴν ἐπεχείρει.* A qua narratione tamen artifex ita discessit, ut Myrtilum, dum Pelops Oenomaum necat, Hippodamiae vim inferre faceret. Quod ad exprimendum ut iam dixi Plutonis et Proserpinae figuris usus est.

Similiter egit eius urnae scalptor quam Koertius eis adnumeravit, quae Dircae supplicium exprimunt (II 5, 4). Et sane si in angulo sinistro duos iuvenes taurum ferocem adducere videmus, de Amphione et Zetho cogitare in promptu est, praesertim cum has figuras ab Apollonii et Taurisci opere celeberrimo pendere, quod etiam urnis re vera Dircae fabulam exprimentibus subest (IV 1—3), primo obtutu adpareat. At cetera omnia Koertii interpretationi repugnant. Nam Dirce quae esse deberet in parte dextra post aram aliquam attonita magis quam perterrita adparet. In altera ara vir supplicis instar insidet. Quae duae arae quid ad Dircae fabulam faciant, intelligi nequit. Medium duo reges vestitu nobilissimo insignes occupant, *ἀντιθετικῶς* sibi oppositi, in diversas partes recedentes, inter quos iuvenis aliquis tamquam conciliaturus intervenit. Fortasse iteratum eundem regem esse dicas, cuius rei supra multa exempla congessimus. Sed etiam eum qui in ara sedet virum, quamquam caput deperditum est, regem esse propter vestitus similitudinem probabile est. Accedit quod personae praesentes admirationem potius quam terrorem prae se ferunt. Fabula igitur quaerenda est, in qua taurus quidam admirationem movet. Est haec historia Minois, qui cum post vitrici mortem regno prohiberetur sibi a dis imperium desti-

natum esse eo se demonstraturum esse professus est, quod quidquid optasset eventurum esset. Itaque e mari taurum emergere optavit, quem Neptuno se immolaturum esse vovit. Quo miraculo facto regno potitus est. Sed tauri pulchritudine captus votum non solvit. Quae secuntur omnibus nota sunt. Dei irati Pasiphaen monstruosa cupiditate tauri illius inflammaverunt, ex qua Minotaurum peperit. In urna igitur taurum illum ad aram adduci videmus, ut immoletur; videmus Pasiphaen iam eius pulchritudine attonitam. In ara autem Minos ideo supplex sedet, quod qui regno eum prohibebant facile etiam capiti eius minari poterant. Duo alii autem reges Minoi persimiles pro fratribus eius Sarpedone et Rhadamanto habendi sunt. Sane apud Apollodorum, gravissimum huius historiae auctorem (Apoll. Bibl. III 1, 2, 3), adversarii Minois non nominantur, ut de toto populo mythographus cogitare videatur; fratres enim illi iam antea Cretam reliquerant, Sarpedon propter amorem pueri, Rhadamantos causa non indicata. Sed eodem aut fortasse meliore iure fabulae formam statuere possis quae Minois fratres et ipsos regnum sibi vindicasse, Minoa eo prohibuisse narrabat. Atque simile aliquid tradit Herodotus I 173. Tres autem adulescentes, quorum duo taurum adducunt, tertius Minois fratres pacare studet, Minois filios Catrea, Deucalionem, Androgeum esse non sine probabilitate conicere mihi videor, praesertim cum iidem etiam in sarcophagi ad eandem fabulam spectantis latere sinistro, si verum vidit Robertus, expressi sint (S. R. III cf. p. 50 s.). Itaque statuimus artificem Apollonii et Taurisci opere ad aliam fabulam inlustrandam usum esse.[1])

Haec habui quae de urnis Etruscis dissererem.

---

[1]) Ceterum non peregrinos solum artifices sed etiam conlegas suos urnarum fabricatores hoc modo compilant. Ita Brunnius cognovit Priamum in Paridis et Menelai certamine in genua procumbentem I 66, 1 ad Oedipi exemplum II 17, 2. 19, 5. 20, 8 expressum esse. Permirum est, Polyphemum semel (I 86, 1) non ut par est rudem et hirsutum, sed paene nobili facie repraesentatum esse. Hoc inde factum esse docuit F. Müller (l. c. p. 10 sqq.) quod huius urnae artifex urnas quae Philoctetae fabulam exprimunt imitandas sibi proposuisset (II 71, 72). Paridem in sella sedentem et Helenae adpropinquantis pulchritudinem miratum (I 17, 2 sqq.) in incerti argumenti urnae utroque angulo iteratum invenimus (II 98, 1).

Addendum ad p. 5.

Cum Phidiae sphingibus comparari possunt aquilae Ganymedem in altum rapientes, quas in Adonidis lectisternio describendo Theocritus commemorat (XV 124), sine dubio lecti pedum capita figurata.

Conspectus speculorum et urnarum de quibus hac in dissertatione disputatur.

A. Speculorum.

B. Urnarum.

Druck von Ehrhardt Karras G. m. b. H. in Halle (Saale).

Vita.

Nata sum, Lisa Hamburg, Berolini die decimo mensis Septembris anni 1890 patre Iosepho medico quem ante hos quattuor annos praematura morte mihi abreptum esse doleo semperque dolebo, matre Anna e gente Meyer. Civis sum Borussiae, religioni addicta sum mosaicae. Primis litterarum elementis imbuta sum annis 1896—1902 Berolini in schola cui Luisa Borussiae regina nomen dedit, tum per duodecim menses privatim instructa per annos 1903—1909 Charlottenburgii realem quae dicitur scholam adii quae nomen habet ab Imperatrice nostra Augusta-Victoria. Ibi anno 1909 maturitatis testimonium adepta per quater senos menses civis Almae Matris Berolinensis fui, ubi cum studiis philologicis et historicis, tum imprimis linguae Graecae discendae operam dedi. Tum mihi contigit ut anno 1910 ad plenam maturitatem impetrandam examen Graeco-Latinum quod adpellatur superarem. Deinde anno 1911 Bonnam migravi a quo tempore imprimis studiis archaeologicis et philosophicis operam navavi. Eodem anno Berolinum redux iterum per ter senos menses illa in urbe civibus Academicis adscripta fui. Anno 1913 Halas me contuli, ubi usque ad hoc tempus studiis operam dedi, nisi quod bello exorto per ter senos menses in domo matris morata sum. Vere 1916 Halas reverti.

Docuerunt me praecipue:

Diels, Hirschfeld, Lehmann-Haupt, † Loeschke, Ed. Meyer, Norden, W. Schulze, Simmel, de Wilamowitz-Moellendorff, Woelfflin Berolinenses; Brinckmann, Elter, † Loeschke, † Nissen, † Solmsen Bonnenses; Kern, Menzer, Robert, de Stern, Weege, Wissowa Halenses.

Quibus omnibus viris doctissimis gratias ago quam maximas. Carolo Robert vero quantum debeam verbis satis exprimere nequeo, sed per totam vitam gratam me praestituram esse voveo.